



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Class  
7116  
3



class 71163







5733.

DE

ANTIQUISSIMA NEPTUNI FIGURA

SCRIPSIT

DR. PHIL. CAROLUS MANITIUS.

---


<sup>2</sup>LIPSIAE,

SUMTIBUS ENGELMANNI.

MDCCCLXXIII.

class 7116.3

~~1273.72~~



*Louis surd.*

**EXPLICATIO SIGLORUM,**  
**QUIBUS LIBRI SAEPIUS LAUDATI NOTANTUR.**

---

Gerhard, auserles. griech. vasenb. . . . .	= a. v.
— griech. u. etr. trinksch. . . . .	= trsch.
— trinksch. u. gefaesse . . . . .	= tr. u. g.
Lenormant et de Witte, élite des mon. céram. . . . .	= él. cér.
Inghirami, pitture di vasi fittili . . . . .	= v. f.
Duc de Luynes, Descr. de quelques vases peints <sup>1)</sup> . . . . .	= v. p.
Dubois-Maisonneuve, introd. à l'étude des v. gr. . . . .	= intr.
Hancarville, ant. étr. (4 vol. Par. 1785. 4) . . . . .	= v. étr.
— ant. étr. (4 vol. Neap. 1766—67; Flor. 1801—1808. fol.)	= ant. étr.
Millin, anc. uned. mon. . . . .	= a. u. mon.
Mon. ined. dell' inst. . . . .	= mon.
Mueller, denkm. alter kunst . . . . .	= d. a. k.
Millin, gal. mythol. . . . .	= g. m.
Guigniaut, religions de l'antiquité . . . . .	= rel.
Overbeck, gal. her. bildw. . . . .	= Ov. gal.
Welcker, alte denkm. . . . .	= a. d.
Panofka, poseidon u. dionysos (abh. d. b. a. 1845). . . . .	= p. u. d.

---

<sup>1)</sup> cf. Welcker, ann. d. inst. 1840 p. 247 sqq.



IV

Jahn, beschr. d. vasens. koen. ludw. zu muenchen <sup>2)</sup> . . . . .	= M.
Stephani, vasens. d. kaiserl. erem. zu petersburg. . . . .	= P.
Gerhard, berl. ant. bildw.; neuerworb, denkm. . . . .	= B.
A cat. of the greek and etr. vases in the brit. mus. <sup>3)</sup> . . . . .	= L.
Campanari, ant. vasi dipinti della coll. Feoli. . . . .	= F.
Cataloghi del mus. Campana <sup>4)</sup> . . . . .	= C.
Stephani, compte rendu de la comm. arch. . . . .	= C. R.
De Witte, descr. d'une coll. de vases peints. . . . .	= cab. étr.
Annali dell' inst. arch. . . . .	= ann.
Bulletino dell' inst. arch. . . . .	= bull.

---

<sup>2)</sup> cf. Gerhard, arch. anz. 1852 p. 227 sqq.; et ibid. 1855 pp. 87° sqq. 110° sqq.

<sup>3)</sup> cf. Gerhard, arch. anz. 1852 p. 174 sqq.

<sup>4)</sup> cf. arch. anz. 1859 pp. 99° sqq. 138° sqq.

---

**M**ultum semper questi sunt viri docti, qui ante nostrum tempus his rebus operam studiumque navarunt, quod tam pauca superessent simulacra Neptuni<sup>1)</sup>. Quae profecto ne hodie quidem, quamvis multa ex abdito eruta sint, quae illos latuerunt, ceterorum deorum imagines numero aequarunt. Verum tamen non desperandum esse puto, fieri posse, ut constituatur, quomodo Neptuni figura inde ab antiquissimis artis temporibus sensim exculta sit. Parum enim adhuc exploratum esse arbitror, quantum emolumenti ad hanc quaestionem solvendam nobis allatum sit vasis pictis nostro demum tempore frequentius repertis. Quibus undique congestis et cum ceteris dei imaginibus accurate collatis non dubito, quin ad antiquissimam eius figuram, cui potissimum lucem afferre nobis proposuimus, fructus aliquis redundaturus sit.

Non complectar hoc tempore Neptuni figurae fingendae primordia, quibus quatenus signa, quae aniconica vocant, antecesserint, paullum adhuc innotuit<sup>2)</sup>. Itaque accuratius non inquiram in priscae artis monumenta, quae a scriptoribus obiter describuntur, ut fere nusquam quae fuerit dei forma eluceat. Et perpauca sunt, quae ad nostram rem

---

1) Cf. Meyer ad Winckelm. IV. p. 324 nt. 291 (Dr. Ausg.); Visconti, mus. chiar. p. 95; Becker, Aug. II. p. 13; Boettiger, Id. z. K. m. II. p. 343.

2) Nescio num huc referenda sint, quae affert Paus. VII. 22. 3; VIII. 35. 6. cf. Winckelm. III. p. 9; Preller, Pauly R.-Enc. V. 1. p. 564; et praeterea fortasse Paus. VIII. 31. 7.

spectant, quae breviter commemorasse ad id, quod quaerimus, sufficiet.

Ac primum quidem summa vetustate nobilis esset Neptuni aenea statua, quam Ulixes Phenei consecrasset fertur, si ipse Pausanias, qui nobis huius rei auctor est<sup>3)</sup>, rem in dubio non relinqueret. Tum vero Gitiadas in templo Minervae, quam Chalciocum vocant, Neptuni figuram finxisse traditur in anaglypho Minervae partum praebente<sup>4)</sup>. Eandem repraesentationem, quam priscae arti usitatissimam fuisse post magis intellegitur, non solum ad Amyclaeum solium exornandum adhibuit Bathycles, idem qui alio solii loco Alcyones raptum sculpsit<sup>5)</sup>, sed etiam Cleanthes Corinthius pictura expressit<sup>6)</sup>, quae quin optimo iure huic tempori ascribatur, mihi quidem non dubium est. Non enim video, quaenam insit picturae petulantia, quam errore sibi finxerat Welckerus<sup>7)</sup>, cum imaginis veterem auctorem Neptuni piscem Iovi obferentis gestum falso interpretatum esse non intellegeret. Quid enim picturis vasariis aptius ad hanc imaginem conferri potest<sup>8)</sup>, in quibus iam antiquitus pisce distinguuntur Neptunum propter maris imperium<sup>9)</sup> infra inveniemus? Longe igitur abiciantur omnes argutiae, in quas inciderunt viri docti, ut piscis attributum quid sibi vellet in hac imagine interpretarentur<sup>10)</sup>. Iam ad artem statuariam reverten-

3) Paus. VIII. 14. 5. 7.

4) Paus. III. 17. 3; cf. Welcker, goetterl. II. pp. 288. 681; Roulez, ann. 1859. p. 304 nt. 4. Quem templi locum tenuerit imago, in controversia versatur. cf. Welcker, kl. schr. III. p. 540; Koner, Koehne's num. ztschr. 1845 p. 2—6; arch. ztg. 1845 p. 30.

5) Paus III. 18. 10; 19. 3.

6) Strab. VIII. 343; Athen. VIII. 346. B. C: ἐν ἡ̄ Ποσειδῶν πεποίηται θόννον τῷ Διὶ προσφέρων ὠδύοντι. cf. Sillig, cat. art. p. 82; Raoul-Rochette, peint. inéd. p. 106; Meyer, k. g. II. p. 39.

7) allg. lit. ztg. 1836 n<sup>o</sup> 177; quod etiam Gerhardio placet a. v. I. pp. 12. 47.

8) Panofka, zur erkl. d. plin.; Brunn, K. G. II. p. 7; C. R. 1864 p. 216 nt. 5.

9) C. R. I. l. 1.; Roulez, ann. 1859 p. 302.

10) Panofka, l. l. p. 5; de Witte, él. cér. I. p. 183.

tibus nobis Neptuni statua colossea ex aere facta, quam Graeci post proelium Plataeense in Isthmo deo sacram esse voluerunt<sup>11)</sup>, notatu digna esse videtur. Statuam autem a Glauco confectam, quam cum aliis donis Micythus Olympiae constituit<sup>12)</sup>, vix ad priscam artem pertinere putamus. Relicum est, ut monumenta quaedam a Prellero<sup>13)</sup> non recte huc relata reiciamus. Ac primum quidem Neptuni statuam equum marinum in manu tenentis, quae Helices interitu in mari demersa navigantibus postea periculum attulisse dicitur, Heraclidis Pontici demum temporibus (ol. CI, 4.) destructam esse, ex Strabonis<sup>14)</sup> verbis clare perspicitur. Tum vero Neptuni Amphitritesque statuae colosaeae in Tenos insula extantes<sup>15)</sup> certae aetati ascribi non possunt, cum de Telesia, qui eas confecit, statuario Atheniensi nihil praeterea tradatur<sup>16)</sup>. Nec maiore denique probabilitate dei colossus delphine et tridente instructum, qui Cenchreis in portu extabat, ex aereis Corinthiorum nummis<sup>17)</sup> huc referendum esse censeo.

Sequitur, ut ad monumenta, quae hodie extant, animum attendamus. Statuariae quidem artis cum nobis nullum monumentum relictum sit, primo loco vasa picta enumeranda esse videntur, quippe quae genuinam prisci temporis artem optime nobis praebeant. Quorum duo genera ad nostram rem pertinere constat, et primum quidem omnia, quae picturas nigro colore confectas exhibent, rubris deinde figuris ornatorum ea, quae propter rigidam figurarum delineationem atque literarum formas, si quae accedunt, ante aut non ita multo post ol. LXXXVI. picta esse videntur<sup>18)</sup>. Vasis non editis, quae

11) Her. IX. 81.

12) Paus. V. 26. 2.

13) Pauly, R.-Enc. V. 1. p. 564.

14) lib. VIII. 384, ad quem conferas Diod. XV. 49.

15) Clem. Al. Protr. p. 41 P; cf. arch. ztg. 1849 p. 120.

16) cf. Sillig, cat. art. p. 437; Brunn, K. G. I. p. 400.

17) d. a. k. II. 6. 72.

18) Jahn, Vasencat. p. 174—189.

stellis designata indicis, qui sequitur, locis aptis inserui, brevem sed accuratissimam, quae obvia erat, Neptuni figurae descriptionem adicere non alienum esse putavi. Praeterea monitum esse volo, facile fieri potuisse, ut nonnulla vasa temere in hunc numerum adsciscerem, quae si accuratius aliquando innotuerint, vel ad recentiore[m] artis aetatem vel ad antiquioris artis imitationem fortasse releganda erunt.

### I. Picturae vasariae nigro colore distinctae.

#### a. Neptuni stantis imagines.

- A.* Delphici dei, Mercurius. él. cér. II. 36 C. <sup>19)</sup>  
*B.* — a. v. I. 36. cf. M 145.  
*C.* — Micali, storia 85. 3; v. f. III. 299; él. cér.  
 II. 36 D. cf. L 552.  
*D.* — Tischbein IV. 2.  
*E.* — a. v. I. 13.
- \**A.* — Vestē stellata indutus tridentem tenet.  
 B 1702.  
 \**B.* — Pallio amictus tridentem gerit. M 178.  
 \**C.* — Tunica pallioque indutus tridentem gerit.  
 M 1265.  
 \**D.* — Palliatus, fascia insignis tridentem tenet.  
 P 87.  
 \**E.* — Amplo vestimento amictus tridentem retinet.  
 P 326.  
 \**F.* — Pisce et tridente designatur. mus. étr. 767. <sup>20)</sup>  
 \**G.* — Vestimento picto amictus, capillis in umeros  
 promissis diademate cinctis, tridente indicatur. L 517.

19) Omnium, quae hanc imaginem praebent, vasorum pictorum indicem adhuc plenissimum invenies a. v. I. p. 57 nt. 5; cf. ibidem, nachtr. p. 207.

20) Extat pictura in hydria, quae ex principis de Canino collectione vendita nunc Lugduni Batavorum asservari videtur. cf. Jannsen, de griek. rom. en etr. mon. van het mus. te Leyden n<sup>o</sup> 1640; Gerhard, arch. anz. 1849 p. 86.

- F.* Minervae partus. mon. VIII. 24. cf. ann. 1865.  
p. 368 sq.; F2.
- G.* — mon. VI. 56. 3. cf. CIV. 1081. <sup>21)</sup> } ann. 1861
- H.* — mon. VI. 56. 2. cf. CIV. 1087. } p. 299 sq.
- I.* — mon. III. 44. 45; él. cér. I. 65 A. cf. ann.  
1842 p. 90 sq.; L564.
- K.* — mus. greg. II. 48. 2. cf. a. d. V. p. 482.
- \*H.* — Delphine et bidente <sup>22)</sup> designatur. B1699.
- \*I.* — Tridente indicatur. B1700.
- L.* Bacchus, Libera, Mercurius. a. v. I. 48; p. u. d.  
II. 4. <sup>23)</sup>
- M.* Minerva. v. p. 2. 3; arch. ztg. 1846 taf. 39. 4;  
Panofka, pos. bas. erl. taf. no 3; él. cér.  
I. 78.
- N.* Minerva et Mercurius. él. cér. III. 13.
- O.* — él. cér. III. 36 A. cf. 'cab. étr. no 66.
- P.* Iupiter, Pluto. mus. blac. 19; él. cér. I. 24.
- Q.* Herculis et Tritonis pugna. mus. greg. II. 44. 2 a.
- R.* Hercules in deos relatus. a. v. II. 140.
- S.* — v. f. II. 109. <sup>24)</sup>
- T.* Herculis et Minervae(?) pugna. archaeol. XXX. p. 342.  
pl. XVIII; a. v. II. 127. cf. L427.
- U.* Minerva, Bacchus. mus. greg. II. 38. 2 a; p. u. d.  
II. 3.

21) Insunt in hoc indice nonnulla vasa picta, quae olim in museo Campanensi extantia hodie Parisiis asservari colligi licet ex: De Witte, Notice sur les vases peints du mus. Nap. III. — Sunt autem haec: G: cf. l. I. p. 15 no 1081; DD: cf. p. 20 no 39; b: cf. p. 23 no 54; \*s: cf. p. 25 no 702; 12\*: cf. p. 21 no 751.

22) Qui mera neglegentia tridentis loco pictus esse videtur Welckero, a. d. III. p. 95 nt. 6. = ann. 1850 p. 111 nt. 1.

23) Nescio unde exortus sit error Gerhardii, qui hanc amphoram, quam luculenter descriptam invenio in catalogo Petropolitano sub no 138, ad Monacensem collectionem pertinere dicit a. v. I. p. 173.

24) Hydriam, quae hanc picturam praebeat, hodie Florentiis in officiorum museo extare, colligo ex bull. 1870 p. 181 no 6.

\**K.* Diana (?), Hercules, Minerva, Mercurius. Pallio indutus et corona distinctus dextra manu tridentem retinet, sinistra sublata. M 1109.

\**L.* Hercules in deos relatus. Pisce et tridente notatus caput fascia insigne retorquens procedit. B 1708.

\**M.* Herculis et Tritonis pugna. Vestimento amictus magnum tridentem in sinistra gerit. P 25.<sup>25)</sup>

\**N.* Dei currum nuptialem comitantes. Tunica pallioque vestitus et myrto coronatus tridente in sinistro umero superimposito astat. M 432.

\**O.* Quadriga vehens, pisce designatus, una cum muliere (Venere?) equorum frena retinet. B 1703.

\**P.* Mercurius, Minerva (?), mulier incerta in medio sedens, vir nudus. Tunica pallioque indutus dextra manu piscem, hastam sinistra retinet. bull. 1869 p. 169 sq.

\**Q.* Deorum conventus. Tridente instructus capite reverso et manu sublata scaenam relinquere videtur. bull. l. l. p. 251.

**b. Neptuni gradientis imagines.**

*V.* Herculis et Tritonis pugna. a. v. II. 111.

*W.* Herculis et Cycni pugna. a. v. II. 122. 23. cf. bull. 1835 p. 163.

*X.* Athletae, Mercurius. a. v. II. 138.

*Y.* Bigam ascendit Mercurio, Baccho, Libera astantibus. a. v. I. 10; p. u. d. II. 5.

\**R.* Theseus Antiopen rapit. Pallio amictus, longis cincinnis insignis, tridente vibrato summo impetu adproperat. M 7.

\**S.* Mercurius et equus erectus, ut secundarias figuras omittam. Piscem et tridentem gerens in Mercurium irruit. C II. 60.

---

25) Hydriam, quae hanc imaginem ostendat, iam in diversis fuisse collectionibus, his testimoniis probatur: Cat. di scelte ant. del Pr. di Can. n° 1908; C IV. 212; P 25; cf. a. v. II. p. 95 nt. 12o; ibid. nachtr. p. 187.

\**T.* Tridentem tenens, tunica pallioque vestitus (ut videtur), longe pedibus progreditur. bull. 1869 p. 250.

\**U.* Tunica pallioque indutus dextra tridentem, delphinem sinistra retinens capite reverso propere ingreditur<sup>26)</sup>. Longpérier, cat. de la coll. de feu M. Noël Des Vergers n° 102.

*Z.* Gigantomachia. él. cér. III. 12.<sup>27)</sup>

*AA.* — intr. 84; a. u. mon. I. 9; él. cér. I. 6.

*BB.* — Stephani, d. kampf zw. thes. u. minot. taf. X.

*CC.* — Overb., Atl. d. K. m. taf. IV. 6. cf. M 719.

*DD.* — mon. VI. VII. 78; Overb., l. l. taf. IV. 8. cf. C II. 39.<sup>21)</sup>

\**V.* — Nudus, effusis capillis, gladio succinctus, lancea vibrata impetum facit. M 1263.<sup>28)</sup>

\**W.* — Pelle ferina umeris iniecta amictus, telum paene extinctum hastae simillimum gerit. C IV. 462; P 221.

\**X.* — (quae pictura in vasculi modo descripti parte aversa extat). Amiculo ilia cingente indutus et gladio armatus lanceam agit. P l. l.

26) Haec imago in fundo picta est paterae, quam e Volceianis sepulcris cum aliis recenti memoria repertam commemorat Al. François, bull. 1857 p. 24 n° 2. Similis esse videtur pictura, quam in fundo pictam exhibet patera, quae olim in museo Campanensi (IV. 625.) extans principis de Canino cura operaque inventa esse videtur; cf. bull. 1839 p. 23 n° 11. Notatu dignum est, utriusque paterae imagines exteriores rubro colore pictas esse.

27) Hanc amphoram apud Col. Leake Londinensem extare colligo ex Panofkae nota, arch. anz. 1846 p. 206. — Ceterum index vasorum eandem imaginem praebentium quam plenissimus reperitur C. R. 1865 p. 172 nt. 1.

28) Eandem picturam redire in aversa vasculi parte, obiter tantum commemorat Jahnius l. l. — Imagines huc referendae et quae nigras et quae rubras figuras ostendunt, cum omnes in eo consentiant, quod Neptunus magnum saxum umero sinistro impositum deiecturus incedit, hoc in singulis describendis imaginibus et hic et infra silentio praetermittendum esse putavi.



\**Y.* Gigantomachia. Nudus, capillis promissis, tridentem gerit. F 7.<sup>29)</sup>

\**Z.* — Chlamyde de umeris pendente amictus, longis capillis diademate cinctis, tridente pugnat. L 613.

\**AA.* — Nudus, longis comarum cincinnis in umeros cadentibus, tridentem gerit. L 645; cab. étr. 128.

\**BB.* — Nudus praeter chlamydem obiter iniectam, tridentem vel hastam gerit, cacumine abscondito. cab. étr. 65.<sup>30)</sup>

c. Neptuni sedentis imagines.

*EE.* Deorum consessus. trsch. IV. V. cf. B 1031.

*FF.* In tauro sedens a. v. I. 47; él. cér. III. 4; p. u. d. I. 1. 2. cf. F 9.

*GG.* Dei piscatores. Christie, disqu. up. gr. v. p. 81. pl. XII; g. m. 125. 466 = rel. 193. 695; él. cér. III. 14.

\**CC.* Minerva, Hercules cithara canens, Mars. Tunica pallioque pictis indutus, comarum cincinnis in umeros pendentibus, tridentem in dextra gerit. L 536.

\**DD.* Apollo cithara canens, binis deabus circumdatis, Bacchus sedens. Pallio amictus manu supra caput elata piscem retinet. B 1979.<sup>31)</sup>

---

29) Eiusdem collectionis amphora altera n° 8 prorsus eandem picturam exhibere videtur. Nec minus huc referenda est amphora musei Campanensis (IV. 161.) male descripta.

30) Haec amphora nunc Parisiis asservatur; cf. él. cér. I. p. 11.

31) Huic indici inserere non potuimus vasa picta non edita, quae quamvis Neptuni figuram praebeant, tamen tam obiter descripta sunt, ut ad figuram eius omnino nihil redundet. Pars cum iam, ut casus ferebat, enumerata, pars in eis, quae secuntur, passim commemoranda sit, haec fere restant: 1. bull. 1859 p. 132. 2. arch. anz. 1851 p. 120. 3. rap. volc. nt. 82<sup>b</sup>. 4. C IV. 149. 5. C IV. 872.

---

## II. Picturae vasariae rubris figuris rigide delineatis compositae.

### a. Neptuni stantis imagines.

- a.* Hercules in deos relatus. a. v. II. 146. 147.  
*b.* Deorum conventus. mon. VI. 58. 2; a. d. V. 24 a.  
 cf. C IV. 54.<sup>21)</sup>  
*c.* — mon. VI. 58. 1; a. d. V. 24 b.<sup>32)</sup> } ann. 1861  
*d.* — mus. greg. II. 21. 1 a; p. u. d. II. 5. } p. 293 sq.  
*e.* Respondet in aversa vasculi parte iuvenis palliatus  
 pateram porrigens. él. cér. III. 6.  
*f.* Respondet Hercules arcum intendens. tr. u. g. 21.  
 cf. B 1753.  
*g.* Respondet Amphitrite (?). él. cér. III. 24.<sup>33)</sup>  
*h.* Victoria, Bacchus (respondent Paridis iudicio in altera  
 parte picto). a. v. III. 174. 175; p. u. d.  
 I. 4. cf. L 787.  
*i.* Hercules Iovi Hesperidum mala coram deis offerens.  
 ann. 1859 p. 293 sq. tav. d'agg. GH. cf.  
 C XI. 15; P 1641.  
*k.* Cum muliere piscem tenente colloquens (respondet  
 mulier pilam retinens). él. cér. III. 23.

\**a.* Neptunus et Amphitrite Boreae et Orithyiae in aversa vasculi parte pictis respondententes. Longa veste amictus, delphinem sinistra retinens, tridente ad lacertum acclinato, dextra sublata colloquitur. bull. 1865 p. 216.

32) Hanc imaginem Neptunum praebere, non duplicem Bacchum, qui quid sibi velit omnino non patet, concedo Panofkae (arch. anz. 1847 p. 21\*), qui ipse examinans vasculum, quod tunc apud Depolettium extabat, thyrsus Neptuno additum hodiernae originis esse vidit. Saepissime praeterea Neptunum pateram tenere, ostendunt picturae rubro colore distinctae (h. bb. \*d. \*t. \*u.).

33) Haec amphora nunc Parisiis extat. cf. arch. anz. 1853 p. 400 n° 14.

\**b.* Amphitrite, Bacchus, Diona, Mercurius. Hedera coronatus delphinem et tridentem gerit. cab. étr. n° 71.<sup>34)</sup>

\**c.* Mulier alata pateram porrigens ex oenochoe impletam, duabus mulieribus inter se colloquentibus. Longa veste et tridente indutus. C XI. 18.

\**d.* Amphitrite libamen effundens ex oenochoe in altum elata et Doris (?). Tunica pallioque amictus, fascia gemmis distincta insignis, tridentem sinistra, dextra pateram retinet. F 10.

\**e.* Amynone hydriam protendens. Tunica pallioque indutus, crinibus prolixè in umeros cadentibus, sinistra manu tridentem retinet, dextra latere innixus. bull. nap. II. p. 61.

\**f.* Cum Mercurio colloquens (respondet in aversa vasculi parte Apollo cithara canens Minervae oppositus). Palliatus et lauro coronatus tridentem retinet. bull. 1869 p. 192.

\**g.* Mercurius, Bacchus, mulier amplo vestimento amicta. Palliatus tridentem gerit. C XI. 8.

\**h.* Palliatus et tridente conspicuus dextra sublata cum Iove colloquitur, muliere sceptro distincta astante. C XI. 120.

\**i.* Aegeus et Aethra Theseum excipientes. Astat pallio vestitus, lauro coronatus, tridente designatus. L 809.

b. Neptuni gradientis imagines.

l. Aethram insectans. mus. greg. II. 14. 1 a; a. v. I. 12; él. cér. III. 5; Panofka, pos. bas. erl. taf. n° 4.

m. Aethram vel Beroën persequens. él. cér. III. 19. cf. L 733.

n. Amymonen vel Amphitriten insectatur, socia in alteram partem fugiente. Heydemann, gr. v. taf. II. 1.

o. — a. v. I. 65. 2; él. cér. III. 21.<sup>35)</sup>

34) Extat haec pictura in hydria inscriptionibus (ΔΙΟΝΑ, ΠΟΣΕΙΔΩΝ etc.) ornata, quam hodie Parisiis asservari testatur Pappasliotis, arch. anz. 1853 p. 400 n° 10.

35) Non consentiunt de huius vasculi forma Gerhardius (l. l. p. 46 nt. 79) et de Wittius (l. l. p. 56), quod alter craterem alter hydriam appellat. Iam cum hoc vasculum cum collectione Pizzati Petriburgum

- p.* Amymonen vel Amphitriten insectatur. bull. sic. 1864 fasc. III. tav. 2.<sup>36)</sup>
- q.* Europen (?) persequens; respondet in aversa vasis parte iuvenis palliatus (Cadmus?). él. cér. III. 22.
- r.* Respondet iuvenis palliatus. a. v. I. 11. 1; él. cér. III. 8. cf. F 6.
- s.* Orion, Diana. mus. chius. II. 169. cf. arch. ztg. 1851 p. 306 sq.

*\*k.* Amymonen insectans. Amiculo umeris iniecto vestitus, crinibus tenui fascia cinctis, in sinistra tridentem gerens, dextram protendens longe pedibus progreditur. P 1535.<sup>37)</sup>

*\*l.* — Nudus praeter chlamydem brachio iniectam, imberbis, corona insignis, in sinistra tridentem gerens ab alato Amore floribus decoratum, dextra puellam arripit. bull. nap. II. p. 61.

*\*m.* — Chlamyde vestitus, dextram tridente occupatam ad puellam versus extendit. C XI. 66.

*\*n.* — Tunica brevior et chlamyde indutus, capite fascia insigni, dextra tridentem retinens, sinistram ad puellam versus extendit. bull. 1864 p. 176 n° 3; arch. anz. 1865 p. 25\*.<sup>38)</sup>

venisse feratur, ubi similem nec vero eandem picturam in cratere extare ex catalogo cognovimus (\*k.). utra vasis forma vera sit, constituere vix possumus.

36) Hunc librum cum inspicere mihi non licuerit, picturae notitia, quam Heydemannus (arch. ztg. 1870 p. 44 n° 32) praebet, hoc loco subdenda esse videtur. Neptunus lauro coronatus, pallio supra umerum sinistrum iniecto, dextra tridentem gerens sinistra puellam (cuius sociam adsit non pellucet) retinere studet.

37) Ne longus sim, in explicandis picturis neque sociam, quae abesse videtur in \*m, neque hydriae, qua mulier distincta est in \*k. \*l. \*m., mentionem feci.

38) Vidit Helbigius hoc vasculum in collectione Peytrigneti. Iam cum credi vix possit, aliud vasculum eiusdem formae (στράμνος) et eodem (Capuae) loco repertum prorsus eandem picturam, vel eandem aversae partis imaginem ostendere, non dubito, quin στράμνος ille Peytrignensis serius in Castellani pervenerit collectionem. cf. de Witte, cat. de la coll. d'ant. de M. Alex. Castellani n° 45; arch. anz. 1866 p. 273\*.

\*o. Tunica brevior amictus dextra tridentem, delphinem sinistra retinens grande incedit (respondet in aversa vasis parte iuvenis propere decurrens). bull. 1865 p. 216.

\*p. Pisce et tridente designatus mulierem fugientem insectatur, quam in aversa vasis parte conspicis. bull. 1869 p. 191.

t. Gigantomachia. trsch. X. XI. cf. B 1002.<sup>39</sup>)

u. — v. p. 19. 20; trsch. A. B; Ov., l. l. taf. IV. 12<sup>b</sup>.

v. — (imago interior paterae modo laudatae). l. l.

w. — mus. chius. II. 171. 172; él. cér. I. 4.

x. — Laborde, vases Lamb. I. 41; intr. 84; a. u. mon. I. 7. 8. 1; d. a. k. I. 44. 208; rel. 131. 509; él. cér. I. 5.

y. — (respondet in aversae partis ordine superiore Minerva Enceladum depugnans). Noël Des Vergers, L'Étrur. et les Étrusques. III. pl. 36. cf. Longpérier, l. l. n° 132.

z. — mus. greg. II. 56. 1 a.

\*q. — Tunica brevior et chlamyde vestitus tridente pugnat. bull. 1865 p. 216.

\*r. — (respondet in aversa vasculi parte Minerva Enceladum prosternens). Tunica brevior indutus, crinibus in nodum coactis, tridentem gerit. bull. 1870 p. 184 n° 13.

c. Neptuni sedentis imagines.

aa. Deorum conventus. a. v. I. 7. cf. bull. 1838 p. 55; M 405.

bb. — (in pictura paterae a Sosia confectae). mon. I. 24. 25; d. a. k. I. 45. 210; tr. u. g. VI. VII; Gerhard, ges. ac. abh. taf. XV. 1. 2.

<sup>39</sup>) Uberius tractaverunt de his pateris (t. u. w.) Overb., K. m. II. p. 341 sq. n° 14. 15. 21; Jahnius, ann. 1869 p. 176 sq.

cc. Amphitrite, Theseus. v. p. 21. 22; mon. I. 52;  
 a. d. III. 25. 1. 2; Ov., gal. taf. 13;  
 él. cér. III. 9. cf. nouv. ann. I. p. 139 sqq.

\*s. Amphitrite in solio sedens, quattuor Nereides (respondent Peleus et Thetis in altera paterae parte). Capite diademate cincto, sinistra tridentem retinet. C IV. 702.<sup>21)</sup>

\*t. Mulier libamen effundens (modo descriptae paterae pictura interior). Sinistra tridente nixus dextra pateram protendit.

\*u. Respondet in aversa vasis parte figura palliata. Tridentem et pateram retinet. C XI. 79.<sup>40)</sup>

---

Anaglyphis deinde, quae propter priscae artis imitationem ad eam, quam quaerimus, Neptuni figuram spectare videntur, secundus locus vindicandus erit. Sed summa in his adhibenda est prudentia, ne plus aequo eorum auxilio enucleetur. Saepius enim sculptentes sui temporis artem respexisse putandi sunt, quam sequentes in priscam artem nonnulla transtulisse videntur, quae recentioris aetatis esse apparet. Anaglypha autem haec fere sunt:

1. Basis trilatera Borghesiana, quae »duodecim deorum ara« dicitur, nunc Parisiis extans, in qua Neptuni figurae

---

40) Respeximus neque ad ollam Monacensem (M 415; ed. mon. IV. 27. A. B.), in qua Neptunus pisce et caduceo designari putabatur, quam Michaelis ann. 1859 p. 60 sqq. ex hoc numero reiecit, neque ad ollam prope Clusium repertam (ed. arch. ztg. 1851 taf. XXVII. 2.), in qua Neptuni figura a sollemni omnino recedens conspicitur (cf. C. R. 1866 p. 93; Ov., K. m. II. p. 260). Ceterum etiam nonnulla vasa inedita propter tenuem, quae ad manum erat, descriptionem in hunc indicem non rettulimus, quae hic reperiuntur: 1. bull. 1810 p. 53. 2. bull. 1851 p. 71 = arch. anz. 1851 p. 46. 3. bull. 1847 p. 139 sq.; a. d. III. p. 408 sq. 4. arch. anz. 1856 p. 247\* sqq. n<sup>o</sup> 399. 5. 6. C IV. 45; XI. 85.

superior pars invidia temporum destructa est. Monumenti saepissime editi eas tantum publicationes laudasse sufficiat, quae omnibus patent. Visconti, mus. piocl. VI. tab. B; Clarac, mus. de sculpt. II. pl. 173. 174; d. a. k. I. n<sup>o</sup> 43—45; Gerhard, über d. zw. gött. (Abh. d. Berl. Ac. 1840) taf. II. 3—5 = ges. acad. abh. taf. XVI. 3—5.<sup>41)</sup>

2. Puteal Capitolinum, cuius imaginis significatio nondum accurate explicata est. Huius quoque monumenti editiones paucas protulisse satis sit. mus. cap. IV. 22; Winckelm., mon. ined. n<sup>o</sup> 5; d. a. k. II. n<sup>o</sup> 197. — cf. beschreib. roms III. I. p. 174 sq. zimm. 5. n<sup>o</sup> 1.

3. Ara quadrata in Villa Albanensi extans, in qua Iovis et Iunonis nuptiae sculptae sunt. Winckelm., mon. ned. n<sup>o</sup> 6; Zoega, bassir. tav. 101; a. d. II. taf. I. n<sup>o</sup> 1; Gerhard, l. I. taf. II. 2 = ges. abh. taf. XVI. 2. — cf. beschr. roms III. II. pp. 467. 476; Fea, indic. antiquaria per la V. Albani n<sup>o</sup> 249.<sup>42)</sup>

4. Marmor unam, Neptuni gradientis, figuram exhibens, quod nunc in museo pioclementino asservatur<sup>43)</sup>. Visconti, mus. piocl. IV. 32; Pistolesi, il. vat. descr. V. 78; g. m. I. 62. 297 = rel. 130. 504; d. a. k. II. 6. 73; Hirt, bilderb. vign. 11. — cf. Zoega, Welcker's ztschr. f. a. k. I. p. 390; Boettiger, id. z. k. m. II. p. 344; beschr. roms II. II. p. 196 sq. loggia scoperta n<sup>o</sup> 28; nouveau bras du mus. au vat. Rome 1856—57 p. 109 n<sup>o</sup> 460.

5. Marmor Matthaeanum unam, Neptuni, figuram praebens. mon. matth. III. 10. 1.

---

41) Reliquas si desideras cf. Petersen, d. zwölfgöttersystem p. 29 nt. 8. — Ceterum ad 1. 2. 3. cf. Overb., K. m. II. p. 22 sq. III. p. 175 sqq.

42) Solam Neptuni figuram cum aliis aliunde desumptis ad arae Borghesianae exemplar coniunctam praeterea praebent: Hirt, bilderb. vign. 2; g. m. I. 6. 22 = rel. 64. 150 c.

43) Miror, cur Muellerus (d. a. K. II. p. 7; h. b. § 355. 4 p. 528) et Millinus (g. m.) hoc marmor ad candelabri basin pertinere contendunt, de qua ceteri omnino nihil habent.

6. Marmoris prope Athenas reperti fragmentum, in quo Neptuni caput et tridentis cuspides conspiciuntur. Schoene, gr. rel. taf. XXIV. 101. 44)

Relicum est, ut in nummos aliquos inquiramus, qui cum priscae aetatis atque artis vestigia aperte prae se ferant, huc pertinent. Posidoniae urbis dico nummos argenteos<sup>45)</sup>, in quibus Neptunus ingrediens, pendente ex umeris palliolo, sinistra extenta, dextra tridentem intorquens conspicitur<sup>46)</sup>. Quorum duo sunt ordines, qui aversarum partium discrimine constituuntur. Ac prioris quidem ordinis nummi, quos antiquiores esse apparet, in aversa parte eundem typum incusum praebent. Ad alterum deinde ordinem qui pertinent, taurum ectypum ostendunt. Quos summa arte saepe confectos ad recentiorem plerumque aetatem relegandos esse constat, praesertim cum novae literarum formae nonnusquam inveniantur.

Atque antiquiores quidem quo tempore primum percussi sint, in dubio versatur propterea, quod Posidoniae urbis origines lucem adhuc desiderant. Longum est, accuratius in has res inquirere. Constare tamen videtur, urbem haud ita multo post Sybarin conditam i. e. circa ol. XVIII. a Troezeniis ex hac urbe depulsis, quos Solinus<sup>47)</sup> Dorienses, Sybaritas Strabo<sup>48)</sup> et Scymnus Chius<sup>49)</sup> crediderunt, consti-

44) Monumentum ineditum huc spectans, Neptunum, Minervam, Latonam exhibens, Petriburgi extare dicitur arch. anz. 1851 p. 58.

45) Aereos enim rarissimos esse et semper recentioris originis suspicionem movere, colligo ex Magnani Luc. num. tab. 25. 26; cf. p. 11 nt. 22.

46) Uberrima talium nummorum collectio olim extabat in museo Caraffae Noiensium ducis. cf. Winckelm. III. p. 214.

47) cap. II. § 10.

48) V. p. 251 B.

49) Peripl. v. 245.



tutam esse<sup>50</sup>). Eis enim, qui coloniam post Sybarin. demum deletam deductam esse putant<sup>51</sup>), veterum scriptorum auctoritas<sup>52</sup>) aperte repugnat. Itaque cum neque ad certos neque ad angustos temporis fines, intra quos nummi nobis servati percussi sint, respiciendum sit, quid obstat, quominus eos, de quibus nunc agimus, illis temporibus ascribamus, quibus ceteroquin optime respondere videantur? Incusos igitur nummos inde ab ol. LX., illos, qui taurum ostendunt, cuius signum non a Troezeniis<sup>53</sup>), sed potius a Sybaritis post urbem deletam cum alio tum Posidoniam confugientibus allatum esse videtur, non prius quam inde ab ol. LXVII. 3, quo anno Sybaris deleta est, percussos esse censeo. Quod ita accipias velim, ut inde ab illa aetate utriusque ordinis nummis eodem tempore usi esse Posidoniates putandi sint<sup>54</sup>), quod probatur incusorum quorundam typi delineatione, quae ad artem picturarum rubro colore distinctarum proxime accedat. Neque a verisimili alienum est, nobis ex illo potissimum tempore nummos servatos esse, quo Posidoniam maxime floruisse ex urbis monumentis ruinisque hodie extantibus conspicuum est<sup>55</sup>).

Iam cum nummorum editionibus ante nostrum saeculum

50) cf. Crosse, comm. brevis, qua in Paesti origg. et viciss. inquir. p. 14; Raoul-Rochette, établ. des col. gr. III. p. 244 sqq.; Duc de Luynes, nouv. ann. I. p. 429.

51) Mazochius, comm. in tab. Her. p. 498; Magnanus, Luc. num. p. 10; Heynius, op. acad. II. p. 263; Forbiger, Pauly R.-Enc. V. 2. v. Paestum.

52) Aristot. Pol. V. 7; Herod. I. 167.

53) Quod voluit dux Luynensium nouv. ann. I. p. 429.

54) Sic enim statues, si videris nummum a Millingenio editum, qui taurum praebet, praeterea memorabilem, quod similem inscriptionem ostendit ac nummorum incusorum nonnulli, in quibus ΜΣΣ legitur (γ. ι.). Quae literae quid sibi velint, quamvis ad liquidum nondum perductum sit, tamen eas ad priscum oppidi nomen, quod Phistulis fuisse dicitur (cf. Micali, l'Italia I. p. 234.), non referendas esse, constare videtur. cf. Magnan, Luc. num. p. 13; Duc de Luynes, ann. nouv. I. p. 431; Millingen, anc. coins p. 6; sylloge p. 19; bull. nap. I. p. 24.

55) Crosse, l. l. p. 15.

institutis<sup>56)</sup> prorsus nulla fides habenda sit, ad id, quod propositum est, paucas tantum et recentiorum quidem publicationes in usum meum converti, quas his locis invenies:

α. β. γ. Mionnet, Planches pl. LIX. 4. 5. 6.

δ. ε. ζ. Micali, l'Italia pl. LVIII. 1. 2. 3.

(Mic. l. l. pl. LX. 8 = γ.)

η. g. m. I. 62. 293 = rel. 130. 506.

θ. Panofka, einf. d. gotth. a. d. ortsn. (B. Ac. 1840) taf. I. 14.

ι. bull. nap. N. S. III. tav. 13. 6; cf. p. 160.

κ. λ. Fiorelli, ann. num. Romae 1846. fasc. I. tav. III. 1. 3; cf. p. 9.

μ. Millingen, sylloge pl. I. 7; cf. p. 16 sq.; bull. nap. I. p. 24.

ν. ξ. mon. III. tav. 35. 5. 6; cf. ann. 1841 p. 133 sqq.

ο. bull. nap. III. tav. 3. 12; cf. p. 106.

Praeterea nummos cerae sulphuratae impressos, quos pasta vocant, in promptu habui hos:

π. Mionnet, muenzpastensamml. n<sup>o</sup> 158.

ρ. σ. τ. υ. φ. Pinder, d. ant. muenz. d. berl. m. p. 14 n<sup>o</sup> 71—75.

χ. ψ. ω. ζ. Nummi ex florentissima, quae Vitoduri exstat, collectione Imhoof-Blumer oriundi, qui Overbeckii benevolentia mihi contigerunt.

---

Postquam omnia, quae ad nostram rem spectant, quantum fieri potuit, congressimus, iam primum videamus, quomodo finxerint Neptunum in illis simulacris artifices Graeci. Iam cum tantum absit ut in his monumentis, quae nobis servata sunt, dei vultus corpusque summa arte expressum sit, ut a ceteris deis Neptunus vix ac ne vix quidem distin-

---

<sup>56)</sup> Goltz, Graecia tab. XXIII; Magnan, Lucania numismatica tab. 19—26; Paoli, Rovine di Pesto tab. 40 sqq.

gui possit — quod postea magis intellegetur — in parvas res, quae ad externam speciem pertinent, inquirendum esse videtur. Itaque priore loco quis dei crinium barbaeque habitus, deinde quae vestium eius consuetudo sit, perscrutabimur.

Atque in eorum quidem vasorum genere, quae nigris figuris ornata sunt, Neptunus praecipue prolixo praeditus est capillo, qui indisposita plerumque ubertate (A. B. C. D. F. H. K. L. N. O. P. Q. S. T. U. V. W. X. Y. Z. EE.; \*G. \*V. \*Y. \*Z.), raro contra longos in cincinnos divisus (M.; \*R. \*AA. \*CC.) in cervicem defluit. Quod cum in una tantum pictura publici iuris facta observetur (de ceteris enim certi quidquam constituere nobis non licet), statuendum esse videtur, hunc crinium habitum antiquissimae, de qua nunc dicimus, artis haud ita proprium fuisse, sed ad illam aetatem magis pertinere, qua vascularii Graeci iam rubro colore pingere incipiebant. Cui tempori Amasin pictorem, cuius ex vasculo (M.) tota haec opinio proficiscitur, iure ascribi posse, omnes concedent, qui picturas examinauerint ab eius manu tanta arte ac diligentia confectas<sup>57</sup>), ut mirum non esset, si quando vascula ab eodem pictore rubris figuris decorata innotescerent.

Sibi igitur habeat posterius tempus crinium illum habitum. Sed hoc tenendum est, ne priscam quidem et incultam artem exornandi capilli studio omnino caruisse. Ac primum quidem neminem picturas huc referendas vel obiter perlustrantem fugere potest, singularem comae cincinnum a cetera copia seiunctum haud ita raro in umerum pectusque dei prolabi (B. F. O. V. W. EE.), semel autem (Y.) in cervicem decidere. Deinde crista, ut ita dicam, supra frontem assurgens et occipitium versus decrescens, quam in vasis postea confectis omnino desideramus, hoc in picturarum genere nonnusquam (A. B. F. N. L.) observatur. Ad eundem crinium habitum imagines pertinere videntur, quibus

57) cf. arch. ztg. 1846 taf. XXXIX. p. 233 sqq.

litteras D. O. T. V. GG. attribuimus, in quibus comae circa frontem assurgentes lineis intus sparsis paullo accuratius adumbratae sunt.

Alter Neptuni capillorum brevium habitus multo rarius occurrit (E. G. R. AA. BB. DD.). Accedit, quod huic numero ascripsimus picturas, quae aut delineatione neglectissima (G.) aut taetro habitu supra verum aucto (DD.), quem prisca ars semper aspernata est, recentioris aetatis imitationem diserte produunt. A quo habitu cincinnum singularem illum, de quo supra diximus, plane alienum, non alienum esse capillum supra frontem assurgentem (E.), his exemplis satis probatur.

Quod vero ad crinem fasciis coronisque decoratum attinget, negari non potest, saepius quam in vasorum genere postea factorum reperiri picturas, in quibus dei caput omni decore plane careat (A. B. D. E. F. G. H. K. L. N. S. T. V. Z. DD. FF. GG.). E quarum imaginum numero accuratius inquirentes nonnullas aut manu neglegenti confectas (G. H. K. N.) aut ingenii a Graecis alieni vestigia prae se ferentes (S. T.) facile seiungent. Quibus seiunctis apparebit, haud rarius dei caput fascia<sup>58)</sup> esse cinctum (C. M. P. R. W. X. Q. AA.; \*D. \*G. \*L. \*Z.). Corona vero nescio cur hoc in vasorum genere rarissime decoretur (O. BB. EE.; \*K. \*N.)<sup>59)</sup>. Diadematis denique denticulis distincti ornatum omnino singularem una praebet pictura (U.), quae fortasse propter delineationem minime severam ad recentiora tempora releganda est.

Ad vasorum picturas rubris figuris compositas transeuntibus nobis statim in oculos incurrit promissorum crinium habitus plane diversus. Dissolvitur enim uber et indisposita capilli copia, qua antea dei caput opertum vidimus, singulos in cincinnos prolixos, qui tantum abest ut liberiore

58) Qua semel (Y.) folia et rami continentur.

59) In pictura litteris EE signata num deus corona an fascia ornatus sit, non pro certo habetur. cf. trsch. p. 6 nt. 9.

lineamentorum ductu insignem artis progressum prodant, ut summo rigore ad amussim paene picti in umeros tergumque decidant (c. d. e. f. g. i. x. aa. cc.; \*e.).

Primo deinde apparet oculorum obtutu, breviorum capillum multo saepius quam antea, quin etiam proluxo paene crebrius occurrere, in quo habitu crines in nodum, quem Conzium<sup>60)</sup> sequentes crobylum dicimus, colligati his in picturis primum haud raro (b. k. l. t. z.; \*r.) reperiuntur. Quae reliquae sunt picturae huc referendae (a. h. m. n. o. r. s. q. u. v. w. y.), comam aut satis simpliciter dispositam (n. o. r. s. q. u. v. w.) aut cincinno brevior ab aure prolapsa, qui semel (z.) cum crobyli habitu coniungitur, ornatam (a. m. y.) aut brevissimos in cirros diffusam (h.) ostendunt.

Capitis denique corona decorandi morem in antiquissimis vasis rarissime repertum in hoc genere creberrimum et fere sollemnem esse, facile intellegitur exemplis in medium prolatis (b. d. f. i. k. p. q. x. w. y. cc.; \*b. \*f. \*i. \*l.). Totidem autem exempla afferri possunt, quibus dei caput fascia<sup>61)</sup> cinctum (a. h. l. m. r. t. u. v. z.; \*k. \*n. \*s.) ostenditur. Qua in re animadvertas velim, plerumque capillos longos corona (d. f. i. x. cc.), fascia breves (a. h. l. m. r. t. u. v. z.) non sine consilio, ut apparet, decorari. Pauca enim huic mori repugnant exempla, quae coronam breviori comae impositam (q. w. y.) ostendant. Crobylus autem si coronae ope (b. k.) sustinetur, ad nostram rem minus spectare videtur.

Reliquae sunt imagines, quae res ab hoc vasorum genere satis alienas praebent, quippe quae dei caput aut omni decore orbum (c. o. s. aa.)<sup>62)</sup> aut diademate denticulis

60) nuov. mem. dell' inst. p. 408 sqq., cui Friederichsius »bausteine« p. 24 not. aliquid opposuit.

61) Paucarum picturarum (g. n. \*d.) capitis ornatus fasciae gemmis distinctae simillimus est.

62) Accedit, quod vasculum picturam s praebens huc non pertinere putamus, cum et ob causam, quam infra afferemus, recentiori

distincto (e.) decoratum ostendant. Quatenus huc pertineant picturae ineditae (\*a. \*c. \*e. \*g. \*h. \*m. \*o. \*p. \*q. \*t. \*u.), non patet. In quibus describendis quo iure capitis ornatus omnino silentio praetermittatur, quamvis diiudicari non possit, tamen hoc descriptioni obiter factae attribuere malim, quam credere, id, quod nunc in oculos paene incurrit, sustineri non posse. Expectemus igitur tempora, quibus picturae illae in lucem prolatae nos aut adiutabunt aut refellent.

Duplex crinium aut longorum aut brevium habitus, quem adhuc invenimus, anaglyphis nummisque affirmatur. Atque in prioribus quidem quamvis perspicue doceri non possit, longum capillum (4. 5.) antiquioribus, recentioribus brevem (2. 3. 6.) magis proprium esse, tamen hoc a vero proxime abesse videtur. Mirum videri possit cuiquam, crinem prorsus aliter atque in vasis pictis cognovimus, in nodum colligari (3. 4. 6.). Nec usquam alibi hoc occurrit, quod praeter nodum illum capilli prolixi in cervicem defluunt (4.). Haec quamquam aliter se habent, tamen omnino ad picturarum similitudinem cincinnus singularis ab aure supra umerum delapsus conspicitur (2. 3. 4. 5.). Caput denique, aut fascia (2. 5.) aut corona (3.) cinctum, ornatu raro carere (4. 6?) videtur.

In nummis deinde antiquioribus prolixi capilli sollemnes esse videntur, qui haud raro in longos cincinnos divisi ( $\gamma$ .  $\lambda$ .  $\rho$ .  $\rho'$ .  $\sigma'$ .  $\tau$ .  $\chi$ .  $\chi'$ .)<sup>63</sup> in umeros tergumque decidunt. Brevior autem crinis, qui semel ( $\pi$ .) ad picturae vasariae (h.) similitudinem in brevissimos cincinnos exiens conspicitur, in eis nummis increbescere videtur, qui recentioris aetatis vestigia prae se ferunt ( $\iota$ .  $\iota'$ .  $\pi'$ .  $\nu$ .  $\xi$ .  $\omicron$ .  $\upsilon$ .  $\phi$ .  $\omega$ .  $\zeta$ .) Nummi, qui utrumque ostendant habitum ( $\alpha$ .  $\gamma$ .  $\pi$ .), rariores sunt. Caput utrum ornatum quendam habeat necne, ple-

---

tempori ascribendum sit, et Caerite repertum e figlina Magnae Graeciae Graeco ingenio carente prodiisse videatur.

63) Virgula apposita nummorum incusorum aversas partes notavimus.

rumque cognosci non potest; tamen non desunt nummi, in quibus fascia perspicue expressa sit (ξ. γ'. ι.).

Barbam vero uberem et longam ad Neptuni formam et figuram constituendam vel maxime pertinere, quamvis adeo constet, ut res memoratu digna vix videatur, paucis tamen ostendere liceat, barbae adumbrationem vel minimum contulisse ad discrimen illud augendum, quod inter nigras et rubras antiquissimorum vasorum figuras intercedere supra perspeximus.

Ac primo quidem deus barba satis tenui et decurtata praeditus repraesentatur (C. L. P. Q. X.), cuius imitationem ne recentioris quidem aetatis ars (G. H. T.) aspernata est. Quae quamvis sensim accrescat (W. E. D. U. O. R. FF. EE. Y.)<sup>64</sup>, dum copiam satis uberem assecuta sit (A. B. F. K. M. N. S. V. BB. GG.), tamen semper cunei instar in pectus descendit<sup>65</sup>).

Atque hanc quidem esse barbae formam et copiam, quam pictores, qui rubro utebantur colore, recipiebant et in usum suum convertebant, picturis satis demonstratur, quas literis f. cc. h. t. m. x. r. l. aa. designavimus, quarum eae, quas in huius ordinis fine posuimus, barbam sane excultam et plenam ostendunt. Neque desunt imagines quamvis artis progressu insignes, in quibus exigua est et paene ad prisci temporis normam picta (a. b. c. d. e. k. o. v. w. q. y. z.). Quae cum ita sint, apertum est, barbae habitum liberiore delineatione adhuc omnino carere neque usquam cirros illos ostendere, qui in picturis postea factis facillima manu expressi barbae adumbrationem ad summam pulcritudinem perducunt.

Haud secus statuendum esse videtur de anaglyphis,

64) Exempla pro barbae forma disposui.

65) In pictura DD, quam iam supra ad imitationis aetatem relegavimus, Neptuni barba lineis facili manu intus sparsis satis libere adumbratur. Rotunda vero forma, quam in pictura AA dei barba praebet, omnino singularis est.

quae omnia ad unum barbam non magnam sed cuneatam ostendunt. Quod ad nummos attinet, quorum nonnulli (γ. ι. ν. ο. σ. τ. τ.) Neptunum imberbem praebere videntur, hoc accuratius examinare a nostra re alienum esse putamus. Memorasse sufficiat, nuperrime nummo praestantissimo, qui in collectione Imhoof-Blumer extat (ς.), nobis probatum esse, Neptunum sane imberbem nonnusquam (ν. ο. ψ.) occurrere in nummis recentioris aetatis, nec vero semper (ξ. ω.). Ne tamen quis hoc in nummos antiquiores adhibeat, ubi non dubito, quin mento cuneato, quod saepissime (α. π. π. ρ. σ.) obvium est, barba satis designetur, quam invidia temporum detritam vix cognosci posse, non mirum est<sup>66</sup>). Ceterum semper teneas velim, constitui vix posse, qua fide editores nummorum typos publicaverint.

Iam vero si ad Neptuni amictum intenti picturas nigris figuris compositas denuo perlustramus, fugere nos non potest, eas paucis exceptis deum longis vestimentis indutum praebere. Ac primum quidem saepissime occurrit Neptunus tunica longa usque ad pedes dependente (χιτῶνι ποδήρει) vestitus (C. H. K. M. N. P. Q. R. W. X. EE. FF. GG.; \*C. \*N. \*P. \*U. \*CC.), quae semper limbo vel tenui (H. K. N. EE. FF.) vel latiore (P. W. X. GG.) distincta nonnusquam virgis stellisque plus minusve depicta est (C. M. R. Q.; \*CC.). Cui pallium (μάτιον) saepissime (C. H. M. N. P. Q. R. GG.; \*C. \*N. \*P. \*U. \*CC.), rarius amiculum umeris obiter iniectum (K. W. X. FF.), rarissime vero palliolium (φαῖρος?) tergum et brachia tegens (EE.) addi, exempla diserte docent.

Sunt deinde picturae, in quibus diiudicari vix possit, utrum tunica pallioque an solo pallio amictus sit deus, aut propter negligentem vestium adumbrationem (D.), aut propter

<sup>66</sup>) Quod Winckelmannus (V. p. 213.) voluit, in nummorum antiquissimorum parte ectypa barbatum, imberbem in parte incusa semper esse Neptunum, vix ac ne vix quidem sustineri potest.



rugas sinusque abundanter expressos (A. B. F.). Quid vero de picturis ineditis huc referendis (\*A. \*B. \*D. \*E. \*G. \*K. \*M. \*R. \*DD.) statuendum sit, multo magis in incerto relinquendum esse videtur. Quibus omissis paucae restant, quae deum solo pallio indutum perspicue ostenderent, nisi limbus quidam collum cingens suspicionem nobis moveret, nonne pallio abscondatur tunica brevior, quae infra non conspiciatur (L. O. U.). Ne tamen quis credat, huius habitus exemplum perspicuum praebere picturam Y, in hanc accuratius inquirendum esse videtur. Nam ibi vestitus est deus pallio pectus brachiumque dextrum non tegente, ita ut tunicam manifeste conspicias. Sed cum propter rugas ambiguae expressas non liqueat, limbus infra conspicuus utrum ad pallium pertineat an ad tunicam, eadem probabilitate contendendi potest, sollemnem habitum obvium esse in hac pictura.

Quae cum ita sint, nemo erit qui neget, pallium sive longae sive breviori (si quidem verum est, quod modo coniecimus) tunicae superinectum sollemnem Neptuni habitum esse in hoc vasorum pictorum genere. Relicuum videtur, ut afferamus picturas habitum atque vestitum singularem praebentes. Ac primum quidem huc spectant picturae, in quibus Neptuni et Polybotae conspicitur pugna. Summa profecto apparet in his habitus varietas. Sunt enim primum, et ineditae quidem, quae deum nudum (\*V. \*Y. \*AA.), sunt deinde, quae eum aut chlamyde (\*Z. \*BB.) aut pelle ferina (\*W.) aut leviori amiculo (CC.; \*X.) indutum, sunt denique, quae eum aut tunica squamis instructa (DD.) aut tunica breviori (AA.) aut lorica (Z. BB.) amictum ostendant.

Deinde pictura, quae litera E notatur, non minus singularem vestitum praebet. Omissa enim imagine S Graeco ingenio omnino carente, quam ex Etruscorum figlina prodisse primo aspectu apparet, deest similis imago, quae Neptunum tunica breviori et amiculo umeris iniecto indutum demonstret. Dicat fortasse quispiam, hac ipsa novitate satis probari vasculum recentiori tempore esse ascribendum.

Desunt tamen vestigia, quibus alioquin priscae artis imitatio notatur.

Reliquae denique sunt tres picturae, quarum duas (G. T.) recentioris originis vestigia manifeste prae se ferentes silentio praetermittamus. Restat igitur ea (V.), in qua Neptunus palliolo amictus ita repraesentatur, ut umerus pectusque dextrum nudum sit. Quem habitum cum eo conferri posse apparet, quem in gigantomachiae picturis (CC.) modo conspeximus.

Sequitur, ut vestium habitum, cui hactenus operam curamque tribuimus, ad imagines rubro colore pictas trans-euntes persequamur, in quibus illa varietas certae consuetudini cessisse videtur. Sollemnis enim dei habitus est tunica longa manicis vel usque ad ulnam dependentibus (a. b. c. d. e. g. h. k. l.? cc. bb.) vel paullo brevioribus (f. m. x.) instructa, cui pallium ita superincitur, ut brachium pectusque dextrum non coopertum sit. Huc referri posse videntur imagines nondum editae, quas literis \*a. \*c. \*d. \*e. distinguimus. Rarissime enim occurrunt picturae (i. aa.), quae pallium paullo aliter dispositum ostendant.

Iam has imagines cum picturis prioris generis conferentibus nobis discrimina manifesta in oculos incurrunt. Ut vestium rugas et sinus omittam, qui quamvis liberiore delineatione adhuc carentes summa diligentia nonnusquam (l.) exprimuntur, desunt vestibus limbi varie depicti, desunt virgarum stellarumque ornamenta. Ac successerunt quidem virgae rugaeque tenuissime adumbratae, quae plerumque ut tunicas lanceas indicent (a. b. f. h. k. x. cc.), nonnusquam (c. d. i.) ornatus causa adiectae esse videntur. Multo magis vero hoc discrimen augetur pallii gestatu diverso. Pallio enim antea Neptunus ita amictus esse solebat, ut lacinia in tergum pendente brachiisque velatis totum tegetet pectus (A. B. F. N.), aut in modum chlamydis circumiectum tergo oblecto de umeris in brachia aequae dependeret (C. M. P.). Ne quis tamen credere incipiat, novum illum, cuius supra mentionem fecimus, pallii gestandi morem omnino alienum

esse a picturis nigro colore confectis, exempla nonnulla in medium proferre mihi liceat, quae ad Apollinis et Minervae spectant figuras<sup>67)</sup>. Quibus optime probatur, illum habitum iam antiquitus earum fuisse figurarum, quae dextro brachio libere movendo ad agendum aliquid egeant. Quod praeclare cadit in nostram rem, cum Neptuno in una pictura (Y.), in qua eodem habitu praeditus est, bigam ascendenti et equorum frena et tridens dextra manu retinenda sint. Habet igitur habitus a sollemni more recedens, quo explicetur. At omnino deest exemplum, quo duplicem illum priscum pallii gestandi morem in picturas rubro colore confectas transiisse probetur.

Longis vestimentis postquam demonstravimus Neptunum saepissime amictum esse, iam de ceteris aggrediamur dicere picturis. Quarum plures quam antea deum tunica succincta vel brevior (n. u. v. t. y.; \*n. \*o. \*q. \*r.), cui saepe chlamys vel amiculum obiter inicitur (n. y.; \*n. \*q.), indutum ostendunt<sup>68)</sup>. Secuntur imagines, quae deum vel nudum (r.) vel chlamyde (o.; \*l. \*m.) vel amiculo (q. z.; \*k.) vestitum praebent. Quibus in vestibus gerendis hoc observari licet, chlamydem<sup>69)</sup> brachio, umeris plerumque<sup>70)</sup> amiculum iniectum gestari. Semel tantum (p.) pallium (?)<sup>71)</sup> umero iniectum sinistro occurrit. Singularem vero habitum una ostendit imago (s.), quae in vasculo extat iam supra reiecto. Nusquam enim in hoc picturarum genere deum solo pallio ita indutum invenimus, ut umerus pectusque dextrum nudum sit. Itaque hanc picturam rudi et imperita manu confectam

67) a. v. I. 13. 14. 23. 32. etc. — 72.

68) Non ausus sum his picturis addere imaginem satis eleganti ac libera manu pictam, in qua Amphitrites raptus conspici dicitur; cf. Logiotatides, arch. anz. 1866 p. 253; ed. Heydemannus, griech. vasenb. taf. I. 2.

69) De pictura \*m certi aliquid constitui non potest.

70) In pictura enim modo allata (nt. 68) amiculum brachio sinistro extento iniectum utrimque dependet.

71) Suspicio, deum amiculo vestitum esse; picturam enim, pallio revera picto, ad recentiora tempora relegare non dubitarem.

ascribimus pictori, qui habitum vasorum postea factorum ante oculos habuisse putandus est. Restat, ut picturas ineditas, quas sub literis \*f. \*g. \*h. \*i. in indicem nostrum rettulimus, hoc loco breviter commemoremus, quippe quae et ipsae solo pallio deum amictum ostendere dicantur. Quas imagines aut neglegenter descriptas esse puto, deo revera et tunica et pallio induto, aut liberioris artis vestigia nescio quomodo prodere, ita ut ex nostro indice omnino relegandae sint.

Multum vero in anaglyphis vestium consuetudo ab ea, quae in vasis pictis obvia est, recedit. Nam deus tunica pallioque vestitus, quem usitatissimum esse habitum supra invenimus, omnino non occurrit. Proxime absunt duae figurae (3. 4.) tunica longa manicis non instructa amictae, cui amiculum ex umero sinistro pendens nescio quomodo obiter superiniectum est. Atque alterius quidem figurae (3.) umerus dexter tunica omnino non indutus est, alterius (4.), tunica ex umero delapsa, pectus nudum conspicitur. Quas sculptentes ad eas figuras pallio vestitas respexisse videntur, quae brachium dextrum nudum gerunt, cuius vestitus exemplum in anaglypho primo ad manum est. Sequitur inde, figuras ita amictas, quas a vasculis huius temporis alienas recentioris aetatis esse modo vidimus, a sculptoribus sub prisci temporis finem sculpi coeptas esse. Absunt enim a monumentis rudem atque incultam artem prodentibus, quorum unum (5.) nobis obvium Neptunum pallio post tergum decidente ita indutum praebet, ut totum dei corpus nudum conspiciatur. Relicum est, ut dei figuram amiculo umeris obiter iniecto vestitam (2.), quem habitum nummorum esse notum est, breviter commemoremus.

---

Qualis Neptuni crinium vestiumque habitus sit ex monumentis nobis servatis conspicuus, satis copiose descriptum esse arbitror. Sequitur, ut totam dei figuram formamque paullo intentius respiciamus, quaque via eius imagines ad

summam perfectionem absolutionemque accesserint, enucleemus. Ac ne materiae, quae nobis proposita est, mole obruamur, ad eam disponendam atque dividendam ea via ingredienda esse videtur, quae nobis picturas rubris figuris compositas perlustrantibus suppeditatur. Discriminis enim ratione ex vestium habitu repetita, omnes dei figurae in tres disponuntur ordines, quorum primus vestimentis amictas longis, brevioribus secundus, tertius denique nudas vel obiter tantum vestitas complectitur. Eandem disponendi rationem ad picturas nigro colore distinctas afferre, quae primi ordinis exemplis abundant, carent paene secundi tertiique exemplis, nemini durius videbitur. Quid quod ab anaglyphis nummisque secundi ordinis figurae prorsus alienae sunt? Omnibus enim dei figuris, quae variis extiterunt temporibus, iuxta se positis ac diligenter inter se collatis, optime demonstrari posse arbitror, quid contulerit antiquissima, quid prisca adulta ars ad illam dei formam creandam, qua nulla possit excogitari praestantior.

Ac principio quidem primus constituatur ordo, cuius pars antiquior illas Neptuni figuras complectitur, quas longis vestimentis indutas in vasis nigro colore depictis videmus, pars recentior eas, quae omnes ad unam tunica longa pallioque amictae in picturis rubras figuras ostendentibus obviae sunt. Non alienum esse puto summatim breviterque exponere, qualis in universum sit earum habitus, quem supra in crinium vestiumque habitu separatim describendo negleximus.

Qua in re cum a priore ad posterius progrediendum esse videatur, a Neptuni imaginibus, quae nigro colore pictae in vasis extant, proficiscamur. Quas miram vestitus varietatem ostendere, cum ex eis, quae antea exposita sunt, constet, liceat nobis illas seiunctim describere, quae ad imagines recentioris partis, quod ad vestes attinet, proxime accedunt (C. G. N. M. P. Q. R. EE. GG.; \*N. \*CC.). Quibus seiunctis ceterae figurae, quae solo pallio amictae esse videntur, omnes (A. B. D. F. L. O. U.; \*G. \*R.) prolaxis capillis praeditae sunt, qui plerumque (A. B. D. F. L.) omni

decore carent; nam et fasciam (\*G.) et coronam (O.) et diadema denticulis distinctum (U.) singulae tantum picturae praebent. Consentiant imagines, quas seiunximus, cum modo descriptis eo, quod et ipsae una excepta (R.) longorum criminum ostendunt habitum, sed ita, ut caput ornatu omnino carens rarius (H. N. GG; \*CC.?) quam fascia (C. M. Q. R.) sive corona (P? EE? \*N.) cinctum occurrat. Memorabile est, etiam hac in re eas recentioribus appropinquare imaginibus. De eis figuris denique, quas supra singulares esse vidimus, mox aliquid exquisitius dicere conabimur.

Quaerat fortasse quispiam, quatenus his imaginibus antiqui pictores Neptuni vim et naturam amplexi sint, quibusque rebus effecerint, ut species dei cum persona consentiat. Talia quaerenti respondendum esse videtur, figuris, de quibus nunc loquimur, praeter attributa omnino nihil additum esse, quo inter ceteros eiusdem habitus excellent. Et abundare quidem huius generis picturas figuris longis vestimentis et ingenti barba capilloque praeditis, satis constat, cum optime tali modo vascularii Graeci cum hominum tum deorum dignitatem exprimi posse putarent. Quis igitur est, qui Neptunum agnosceret, nisi tridente indicaretur? Quis est, qui deum attributis omissis a Iovibus, Bacchis, Mercuriis discernere posset? Et hoc quidem ad priscam artem iudicandam maximi momenti esse arbitror. Omnino enim apertum est, eam nondum sibi consciam fuisse, quae sit optima dei species, quae ei uni conveniat. Quo factum est, ut in varietatem illam, quam saepe notavimus, abiret, nimirum cum non haberet, quo consisteret. Hoc enim proprium est artis nondum excultae, quod passim experitur, quid possit, singularibus saepe creandis figuris, quas relinquere non dubitat, simulatque ea species inventa est, quae inter ceteras excellere videatur. Atque hanc speciem eam esse, cuius exempla iam saepe laudavimus, profecto verisimile est, cum propter magnum numerum nobis servatum, tum quia haec sola pictoribus, qui rubris figuris vasa decorabant, digna esse visa est, quam ex antiquissima arte receptam excolerent.

Recentioris partis figuras examinantibus, ut quam supra recognovimus certam vestium consuetudinem et pallii gestandi morem antea insolitum omittamus, inprimis notandum esse nobis videtur, crinium brevium habitum, cuius antea unum (R.) in promptu erat exemplum, valde increbuisse, sed ita; ut negari non possit, prolixum capillum, qui longis vestimentis optime conveniat, pictoribus magis placuisse. Longorum enim crinium exempla (c. d. e. f. g. i. x. aa. cc.; \*e.) brevium exemplis (a. b. h. k. l. 'm.), quorum tria (b. k. l.) crobylum ostendunt, numero antecedunt. Quod supra admonitum est, coronam ad longum capillum (d. f. i. x. cc. — b. k.), ad brevem continendum fasciam (a. h. l. m.) saepius nescio cur adhiberi, in hunc quoque locum valet. Dei caput omnino non decorari, quod bis tantum (c. aa.; \*e?) et capillis quidem in umeros defluentibus occurrit, sollemni mori repugnat.

Constat deos suam quemque formam, sub qua postea repraesentabantur, hoc tandem tempore sensim consequi. Sufficiat Mercurii exemplum, cuius vetusta figura ad Neptunum proxime saepe accedebat, in medium protulisse, quem ut statim agnoscas, calceis alatis, petaso, vestimentis capillisque brevioribus plerumque efficitur. Iam quid sit, cur inter Neptuni et Iovis imagines, attributis sollemnibus omissis vix in hoc picturarum genere discrimen intercedat, omnibus, in promptu est. Summa enim, quae utrique convenit, dignitas cum habitu aptissime indicetur, qua tandem re et insignem maiestatem alterius et alterius gravissimam animi atrocitatem corpore velato designari posse putamus nisi vultu summa arte expresso? Qui quamquam in eis picturis, de quibus agimus, ab antiquo rigore variatur, tamen ne posthac quidem a vasculariis, quippe qui inferiore uterentur arte, omnibus numeris absolutus exprimebatur. Quae cum ita sint, non dubito, quin crinium brevium saltem habitus, qui optime deo, penes quem maris imperium est, convenit, non temere sed eo consilio, ut species eius melius circumscriberetur, inventus sit. Quod eo tempore factum

esse, quo pictores nigro colore figuras implere modo desinebant, si ad picturam R respicimus, verisimile fit. Quamquam non ignarus sum, mihi obici posse, hanc rem ad Neptuni definiendam speciem minoris esse momenti, cum Iovi quoque brevis capillus saepius attributus sit. Sed hoc mox melius intellegetur.

Denique ex anaglyphorum numero ad hunc ordinem duo (3. 4.) spectant, nisi forte illam dei figuram (1.) eis addere velis, quam solo pallio ad recentioris aetatis morem indutam esse perspeximus. Utinam priscae huius generis artis plura nobis servata essent monumenta! Profecto picturis vasariis multo clarius demonstrarent, quantum contulerit prisca ars adulta ad Neptuni summam absolutionem! Ac primum quidem quid sit, quod Neptunum a Iove optime discernat, ex anaglypho, quod nobis est quartum, clare pellucet. Quod deum nobis proponit vultu severo, non Augusto usum, quem etsi deessent attributa profecto nemo Iovem putaret. Sed illo tempore sculptores, ut Neptuni vultum bene exprimerent, nondum satis valuisse, dei figura in ara Albanensi conspicua docet, quae ad Iovem eiusdem monumenti proxime accedit. Attamen iuvat prima cognosse initia. Atque eodem fere tempore pallium nudo corpori ita iniectum, ut partibus inferioribus velatis umerus brachiumque dextrum apertum sit, qui habitus postea in longarum vestium locum successerit, sculpi coeptum esse, iam supra primi anaglyphi auxilio enucleavimus. Quod cum ita sit, mirum videri non potest, illum pallii habitum a prisco vasorum pictorum genere alienum esse. Insignes enim artis progressus semper paullo serius a pictoribus vasariis receptos esse constat.

Ordine secundo Neptuni figuras vestimentis brevioribus amictas contineri voluimus. Quas si denuo perlustramus, res sane memorabilis cernitur. Omnes enim ad unam capillo brevioris (AA. E. n. u. v. t. y.; \*r.)<sup>72</sup>, cui crobylum

<sup>72</sup> Quod non minus praeclare cadit in picturam supra (nt. 68) allatam, quae crinibus in cirros exeuntibus coronam impostam ostendit.



(t. \*r.) adnumero, praeditae sunt. Caput plerumque fascia (AA. u. v. t.; \*n.) semel corona (y. n?) ornatum una in pictura nigris figuris composita (E.) omni decore orbum conspicitur.

Iam si quaerimus, quatenus harum imaginum pictores optumae Neptuni speciei, quam mente complectimur, satisfecerint, negare non possumus, novum dei habitum muneri, quo fungatur, quodammodo accomodatum esse. Quis enim maris deum gravissime fere semper commoti longis vestimentis indutum mente concipiat? Quis non videt, tali vestitu vel maxime effectum esse, ut Neptuni figura ad Iovis augustam speciem proxime accedat? Liquet igitur, non temere in novam dei figuram incidisse pictores. Qua in re hoc non neglegendum esse videtur, quod omnes imagines huc spectantes deum longe pedibus progredientem exhibent. Quarum picturarum duo sunt genera; pars enim mulieres insectantem (n. \*n. \*o.), pars Polyboten saxo obruentem eum, ostendunt (u. v. t. y. \*q. \*r. AA.). Quae cum ita sint, dei vis motusque ad novum et crinium et vestium habitum inveniendum, quippe qui expeditiorem reddat propere currentem, non paullum valuisse videtur. Quod si cui minus probetur, quid sit, quaero, cur Neptuni stantis et otiose tridente innixi figuram brevibus indutam vestibus nusquam reperiamus?

At vero, dicat quispiam, quid longis vestimentis dei vim motumque impediri dicis, cum in promptu sint exempla (W. X. \*R—\*U.; l. m. x.), quae tibi manifeste repugnent? Et profecto repugnare videntur tres picturae, quae rubras figuras ostendunt, de quibus alio loco disseremus; sed de ceteris, quae nigras praebent, quid sit statuendum, illico videamus.

Rarissime fit in imaginibus nigro colore pictis eis omis-  
sis, quae pugnam cum Polybota commissam praebent, ut Neptunus quiete astantis sive sedentis speciem relinquat et graviter commotus quasi agentis partes suscipiat. Quod si fit deo nihilo minus longis amicto vestimentis (W. X.; \*T.

\*U.), colligi inde licet, illo tempore pictores nondum incidisse in novam, quam supra cognovimus, dei figuram speciemque. At eos intellexisse saltem, deo longe pedibus proгредиendi leviozem convenire vestitum, ex eis figuris pellucere videtur, quae pallii loco amiculum tunicae superiniectum ostendunt (W. X.). Qui habitus mihi quidem inter longum brevemque vestitum in medio, ut ita dicam, positus esse videtur, unde conspiciatur, non repente sed sensim transitum ad breves vestes factum esse. Iam vero cum ne has quidem ab illo picturarum genere prorsus alienas esse tribus demonstraretur exemplis (E. S. AA.), quorum tertii ars atque delineatio ad figuras rubro colore pictas proxime accedat, consequitur inde, ut figurae, quibus vestium breviorum causa secundum attribuimus ordinem, eo tempore sint inventae, quo pictores vasarii non modo nigris sed etiam rubris figuris eodem tempore vasa decorabant. Atque eodem fere tempore figuris sollemniter vestitis crinium brevium habitum non temere esse additum, iam luculentius apparebit quam antea.

Relicum est, ut videamus, quales sint figurae, quas tertius complectitur ordo. Ac nudas quidem vel obiter amictas huc pertinere, antea dictum est. Quarum ad crinium habitum si respicimus, vetustae prolixis (V.; \*V. \*Y. \*Z. \*AA.), recentiores, a quibus ne crobylus quidem (z.) alienus est, brevibus praeditae sunt capillis (o. q. r.), qui aut omni ornatu carent (V. o.), aut tenui fascia (CC. \*Z.; r. z. \*k.) aut corona (q. p. \*l.) continentur.

Manifestum est, huius ordinis figuras eodem studio, quod modo laudavimus, esse inventas, ut dei vis motusque membris eius libere agitatissimè optime conspiciatur. Omnes enim picturae huc spectantes cum, ut ordinis modo descripti imagines, aut Polybotae pugnam (CC. \*V.—\*BB. z.) aut mulieris (o. p. q. \*k. \*l. \*m.) iuvenisque (r.) insectationem praebent (quarum posterioris generis a vasis antiquissimi prorsus alieni locum explet Neptunus (V.) ad Tritonis pug-

nam adproperans), deum non aliter ac propere currentem ostendunt, ut profecto aliquid veri inesse videatur in eo, quod modo monuimus, longis vestimentis dei cursum impetumque impediri visum esse vasculariis. Accedit tamen aliquid, quod nunc melius apparet quam antea, quod ut recte perspiciamus, ad vasorum picturas libera manu confectas paullum nobis intendendum est, in quibus Neptunum fere semper obiter tantum amictum conspicimus. Et ad hanc quidem speciem elaborandam plurimum contulit ars statuaria, e cuius simulacris postea in picturas vasorum eam esse translata, notum est omnibus, qui harum rerum periti sunt. Quae cum ita sint, in imaginibus supra allatis prima illius speciei initia nobis oblata esse existimo, quae quo tempore sint facta, si enucleare volumus, una tantum figura nigro colore expleta (V.) nobis auxilio est<sup>73</sup>). Quae cum diligentissime et prisca arte omnino digne confecta sit, sequitur, hanc Neptuni formam et figuram a pictoribus vasariis ea aetate receptam esse, qua iam rubris figuris urnas decorare incipiebant.

Sed deum nudum ac graviter commotum iam antea ab artificibus expressum esse, cum anaglyphorum (2. 5.) tum nummorum testimonio probatur. Prisci igitur temporis artifices haud ignaros fuisse apparet, Neptuni vim atque atrocitatem corpore nudo ac forti optime demonstrari, quem fingendi morem posterior aetas quam diligentissime excoluit.

Tres Neptuni figurarum ordines quamquam distinximus, tamen accuratius inquirentem fugere non potest, hos ad duos restringi posse, cum secundi tertiique ordinis figurae solis vestibus diversae ad idem redeant. Sunt autem Neptuni aut placidi aut graviter commoti imagines. Dixit fortasse

---

73) Nihil enim traditur de arte ineditarum imaginum (\*V.—\*BB.), quarum plurimas delineatione ad picturae CC similitudinem neglegenter facta originem seriorem prodere suspicor.

quispiam, hunc duplicem dei typum ad maris vim et naturam revocandum esse videri, quia maris modo tranquillitate modo atrocitate hominum animos maxime moveri constet, ita ut Neptunus placidus tranquillo, atroci mari turbidus respondeat. Quod etsi artifices in dei figura fingenda semper respexisse vix crediderim, tamen ad hos typos certis nominibus distinguendos non alienum videtur hac comparatione uti.

Ac primum quidem Neptunum placidum, cuius aut quiete astantis aut leniter gradientis aut sedentis extant imagines, longis vestimentis vultuque sereno induere quis est, quin aptissimum esse censeat? Sunt qui tunicae longae palliique vestitum ad Ionum habitum revocantes, Neptunum ionicum ita repraesentatum esse putaverint<sup>74)</sup>. Quorum sententia sane habet, quo defendatur. Insequitur enim deus tali modo vestitus in duabus picturis vasariis (l. m.) mulierem fugientem, quam Aethram esse aut nomine inscripto (l.) aut calathoadpicto (m.) indicatur. Iam cum in huiusmodi picturis Neptunus obiter amictus occurrere soleat, pictores, ut longarum vestium habitum retinerent, fabulae genere, quae tota ionica est, commoti esse videntur. Paullo secus censendum est de pictura (x.), quae Neptuni et Polybotae pugnam praebet, ubi pictor, cum longas vestes fabulae genere non coactus pingeret, id egisse videtur, ut ionicum deum a se repraesentatum esse diserte indicaret. Vereor tamen, ne omnes huius generis picturas ad Neptunum ionicum referentes a vero aberremus<sup>75)</sup>. Quid quod vasa nigra figuris ornata deum longa quidem nec vero ionica veste indutum ostendunt? Quare placido deo, quem ionicum ideo

74) Visconti, mus. piocl. IV. p. 61 sq.; Boettiger, id. z. k. m. II. p. 344; Preller; Pauly R.-Enc. V. 1. p. 564.

75) Simili prudentia usus est Panofka, cum in libello, qui inscribitur »Poseidon Basileus und Athene Sthenias«, periculum faceret, ut imaginum, de quibus loquimur, partem Neptuno regi vindicaret. cf. l. l. p. 11.

non semper nominarim, longarum vestium habitum in univ-  
ersum convenire arbitror.

Deinde Neptunum, quem turbidum dicere liceat, ab artificibus graviter semper commotum et corpore, quantum fieri potuit, nudo repraesentatum esse, supra demonstratum est. Quem typum doriensem esse, contendit Prellerus l. l., nummis commotus Posidoniae urbis, quam doriensis originis esse testimonia adsunt, quae comprobare videantur<sup>76</sup>). At quis est, quin ineptum esse censeat, furorem et perturbationem ab ionico Neptuno alienam credere? Quod si quis mihi concedit, non intellego, quo iure alter dei typus ionicae arti omnino abdicatur.

Immo vero inde ab antiquissimis temporibus Neptuni cum placidi tum turbidi imagines et apud Iones et apud Dorienses aequis conditionibus simul excultas esse, a vero proxime abesse videtur. Quid quod Parthenonis Neptunus uterque ab una eademque arte expressus id, quod de duplici dei natura coniecimus, affirmat et comprobat?

---

Iam restat, ut paucis exemplis e copia recentioris artis monumentorum selectis probemus, quid contulerit ad optumam Neptuni figuram creandam posterior aetas priscae artis emolumentis adiuta.

Ac primum quidem ordo figurarum solo pallio amictarum notandus est, quem habitum longarum vestium consuetudini succedere supra diximus.

1. Statua marmorea, quae Dresdae asservatur. Becker, Aug. II. 40; Clarac, mus. de sculpt. IV. 743. 1795; d. a. k. II. 70.

---

<sup>76</sup>) cf. Raoul-Rochette l. l. III. pp. 22. 245; Preller, myth. I. p. 360. At ionicum esse Neptuni cultum apud Troezenios obvium, testatur Welckerus, götterl. I. p. 636. Quod ne Prellerum quidem fugit; cf. myth. I. p. 358.

## 2. Vasa picta.

a. Amymonen persequens. Laborde, vas. Lamb. I. 25; v. f. I. 94; él. cér. III. 17; d. a. k. II. 7. 84.

b. A Gorgonibus circumdatus. Millin, peint. d. v. ant. II. 3. 4; v. f. I. 71; g. m. 95. 387\* = rel. 160. 612; d. a. k. II. 72. 899.

c. Respondet in aversa vasis parte iuvenis palliatus (Theseus?). v. p. 23; él. cér. III. 7.

d. Pelopis Oenomaïque foedus. Ingh., mon. étr. V. 15; intr. 30; arch. ztg. 1853 taf. 55.

e. Bellerophontis et Chimaerae pugna. mon. II. 50.

f. Pelops a cycno insectatus. tr. u. g. 22. cf. B 1946.

g. Amymone. él. cér. III. 30; bull. nap. II. 3.

h. Talos moriens. bull. nap. III. 2. 6; arch. ztg. 1846 taf. 44. 45.

i. Deorum convivium. mon. V. 49; tr. u. g. H. cf. L 811\*.

Hoc habitu novo atque inaudito antea, ut ita dicam, quid addiderit ars Neptuni speciei arte definiendae, facile intellegitur. Nam talibus in simulacris picturisque ne minima quidem re praeter tridentem discerni Neptunum a Iove, optime declarant figurae sedentes non solum in vasculis (d—i) sed etiam in nummis Boeotiae (d. a. k. II. 77.) et Byzantii (ib. 77<sup>a</sup>.) obviae, quarum pectus inferioribus corporis partibus velatis nudum conspicitur.

Latissime tum vero patet figurarum ordo, quae vel amiculo vestiuntur vel omnino nudae sunt.

## 1. Statuac.

a. Statua marmorea. mus. piocl. I. 32; g. m. 91. 292 = rel. 129. 505; Clarac, mus. de sculpt. IV. 703. 1796.

b. Statua colossea Cherchellii reperta. ann. 1857 tav. d'agg. E. n<sup>o</sup> 1; cf. p. 187; rev. arch. XIII. an. II. p. 570.

c. Staticulum aheneum collectionis Fejervarianae. mon. ann. 1854 tav. 18. p. 89.

d. — Anconae repertum. mon. VIII. 12. n<sup>o</sup> 7. cf. ann. 1864 p. 386.

## 2. Anaglypha.

- a. Ara rotunda, quae »rostrata« dicitur. mus. cap. IV. 31.
- b. Sarcophagus Pelei Thetidisque nuptias praebens. Winckelm., mon. ined. n° 111; Zoega, bassir. 52. 53.
- c. Sarcophagus Promethei fabulam exhibens. a. d. I. taf. 14. 26.
- d. Crater marmoreus. Pistolesi, il vat. descr. V. 53.
- e. Patina argentea, cuius in ansa extat anaglyphum. C. R. 1867 p. 209.

## 3. Vasa picta.

- k. Amymone. él. cér. III. 27.
- l. ——— Passéri, pict. in v. II. 171; él. cér. III. 28.
- m. Aurorae quadriga a deis circumdata. mon. II. 30.
- n. Amymonen persequens. a. v. I. 11. 2; él. cér. III. 18.
- o. Fontem aperiens (modo laudatae paterae pictura altera). l. l.
- p. Deorum et gigantum dimicationes (pictura paterae ab Ergino confectae). tr. u. g. 2. 3.
- q. Amphitriten delphine invectam expectans. ant. d. bosph. cimm. III. 61. 3. 4. cf. P 2164.
- r. Amymone. amalth. II. taf. 4.

Has dei figuras quiete astantes in statu fingi, uno Parthenonis fastigii simulacro excepto, in vasis vero postea factis non solum turbide ingredientes (n. o. p.), ut antea, sed etiam stantes (k. l. m.) et sedentes (q. r.) pingi, imprimis notatu dignum est. Sequitur, hoc habitu vim naturamque dei optime exprimi posse visam esse artificibus aetatis posterioris. Sed illas figuras pingendo sculpendove fingentes vix novi aliquid addidisse putandi sunt arti, cum id tantum expolirent excolerentque, quod prisca arte creatum receperant.

Ne tamen omnia detractare videamur arti recentiori, creavit illa novam propriamque dei figuram. Illam dico, cuius habitum ex nautarum more et consuetudine sibi finxisse videntur artifices. Pede enim sublato saxo vel prora vel delphine nixus, dextra tridente innititur deus intente

prospiciens. Solo igitur tridente ab hominibus distinguitur Neptunus. Talis dei figura in nummis occurrat, ut alios omittam, Demetrii regis (d. a. k. I. 221<sup>b</sup>), qui nobis fortasse auxilio esse possunt, si enucleare volumus, quo fere tempore habitus inventus sit. Ceterum omnino conferri licet monumenta nobis servata cum praeclaræ statuæ descriptione, quam Anticyrae vidit Pausanias (X. 36. 8.).

1. Statuæ.

c. Statuæ marmoreæ fragmentum musei Lateranensis. Garucci, tav. 23; Clarac, mus. de sculpt. IV. 744. 1797.

d. Statua marmorea Dresdensis. Becker, Aug. II. 47; Clarac, mus. de sculpt. IV. 743. 1798.

2. Anaglypha.

f. Sarcophagus Promethei fabulam præbens. Clarac, mus. de sculpt. II. 216; Bouillon, III. rel. pl., 9. 1.

g. Anaglyphum in Villa Albanensi extans. Zoega, bassir. I. 1; a. d. II. taf. 4. 7; d. a. k. II. 7. 76; Hirt, bild. b. I. 14. 1.

h. Patina argentea, cuius ansa e typo decorata est. C. R. 1867 taf. II. 2.

i. Duo vascula anaglyphis ornata. P 1345. 1353. (ined.)

3. Vasa picta.

s. Amynone. Caylus, rec. d'ant. II. 19; Millin, peint. d. v. ant. II. 20; g. m. 62. 294 = rel. 130. 508; él. cér. III. 26.

t. — él. cér. III. 25. cf. B 1795.

u. — mon. IV. 16; él. cér. III. 29.

v. Cadmus draconem occidit. Gerh., ctr. v. taf. C; a. d. taf. 23. 1. cf. B 1749.

Quæ figura quamvis dei personæ plane respondeat, tantum tamen abest, ut sola recentior ars optumam dei figuram invenerit, ut omnia, quæ postea extiterunt, e prisca arte tamquam e fonte emanaverint.



Non vereor, ne quis mihi obiciat, me neglegenter atque obiter rem tractasse, cum ad eas tantum Neptuni imagines adhuc respexerim, in quibus deus fere semper tridente conspicuus est. Quo omisso sive aliis figuris attributo cum factum sit, ut in multis imaginibus dubitari possit, num deus profecto conspiciatur, omnibus, quae mihi innotuerunt, enumeratis diiudicare mihi proposui, quo iure in singulis viri docti de Neptuno cogitaverint. Sunt autem hae<sup>77)</sup>:

### I. Picturae vasariae nigro colore distinctae.

1. Delphici dei, Mercurius. Panofka, bild. d. ant. leb. taf. 14; a. v. I. 15; él. cér. II. 36 B. cf. P 9.

2. — mus. greg. II. 33. 2a.

3\*. Mercurius, Apollo, Diana, Bacchus. Neptunus sceptrum retinens vix agnoscitur. a. v. I. p. 57 nt. 5 g.

4. Minervae partus. Micali, storia tav. 80. 1; él. cér. I. 59; d. a. k. II. 21. 228. cf. a. v. I. p. 5 nt. 7 c; F 64.

5. Bacchus, Hercules cithara canens, Minerva. a. v. I. 68.

6. Hercules, Palaemon (?), Minerva, vir in solio sedens. Respondet in aversa vasis parte simillima pictura, nisi quod Mercurius Palaemonis vice furgitur. a. v. II. 128. cf. L 581; cab. étr. n° 95.

7. Minerva Herculem ad Iovem (?) ducit. él. cér. I. 56 B.

8. Vir nudus duobus baculis armatus in scòpulum irruens. ant. étr. I. 51. cf. L 658.

9\*. Vir sedens, amplo vestimento amictus, barba cuneata capillisque in umeros defluentibus praeditus dextra sceptrum, delphinem sinistra retinet, duabus puellis astantibus. F 11.

10. Vir obiter amictus, tridentem gerens, equo marino invehens. a. v. I. 8; él. cér. III. 1. cf. L 671.

---

77) Vasis non editis, ut supra, stellam apposui.

11. Vir obiter amictus, tridentem gerens, equo marino invehens (pictura respondens in altera parte paterae modo descriptae). él. cér. III. 2<sup>a</sup>. 7<sup>s</sup>)

12\*. — (imago in fundo paterae picta, in qua naves delphinesque praeterea conspiciuntur). C IV. 751. 2<sup>1</sup>)

## II. Imagines vasariae rubris figuris rigide pictis compositae.

13. Vir equo marino invectus. él. cér. III. 2.

14. Vir mulierem insectans. él. cér. III. 20.

15. — Politi, cinque vasi di pr. tav. IV. V. 7<sup>9</sup>) cf. arch. ztg. 1843 p. 61; bull. nap. II. p. 14; kunstbl. 1845 n<sup>o</sup> 44.

16\*. — Vir barbatus, corona insignis, sceptro et delphine distinctus, mulier hydria conspicua est. bull. nap. I. p. 92; a. v. I. p. 48 nt. 79.

17\*. — Vir barbatus brevi lorica amiculoque indutus, protensis brachiis, longe pedibus progreditur, duabus puellis delphines tenentibus in utramque partem propere decurrentibus. C XI. 52; P 1531.

18\*. Vir barbatus, tunica brevior amiculoque vestitus, sceptro distinctus iuvenem gallo conspicuum persequitur. C IV. 433; P 1532.

19. Vir magnifice vestitus et sceptro distinctus ad iuvenem armis indutum aggreditur. Roulez, bull. des comm. roy. d'ant. Brux. X. n<sup>o</sup> 6 = mélanges fasc. IV. 3; cf. C. R. 1864 p. 216; P 1668; Walz, arch. ztg. 1845 p. 59; ztschr. f. a. w. 1845 p. 449; K. F. Hermann, gött. gel. anz. febr. 1845 p. 270.

20. Minerva, Victoria, Hercules cithara canens, Iris, vir amplo vestimento amictus in sella sedens. Moses, ant. vases pl. 20; v. étr. III. 31; v. f. III. 290. cf. L 727. 8<sup>0</sup>)

7<sup>s</sup>) Eandem picturam exhibent duae lecythi ineditae M 361. P 11.

7<sup>9</sup>) Hic liber cum mihi in promptu non fuerit, picturae notitiam ex descriptionibus obviam apponamus. Vir barbatus, amiculo obiter vestitus, dextra sceptrum retinens, sinistra puellam propere decurrentem arripit.

8<sup>0</sup>) Haec pictura quamvis propter delineationem negligentissimam

21. Herculis pugna cum tribus deis (?) commissa. mon. I. 20; a. d. III. taf. 18. cf. M 745.

22\*. Vir chlamyde obiter amictus, hasta innixus, sinistram protendit, ut Bacchum a partu recentem e Iovis manibus accipiat. L 724; de Witte, nouv. ann. I. p. 358; cab. Dur. 68.

Harum imaginum plerasque non recte a viris doctis huc relatas esse censeo. Ac primum quidem figuras quasdam tridente insignes Neptunos crediderunt; tum vero ex nonnullis picturis figuras omnibus attributis carentes sive aliis instructas, quae Neptuno non conveniunt, in numerum asciverunt propter earum figurarum consensum, quibus ceteroquin saepissime Neptunus stipatus esse solet.

Iam primum videamus, quales sint illae figurae (10.—13.), quas tridente instructas huc non pertinere putamus. Primus enim Gerhardius<sup>81)</sup> rectissime vidit, virum obiter amictum et tridente instructum (quo caret in pictura rubro colore distincta, quam sub n<sup>o</sup> 13. recensuimus) equo marino invectum Nerea esse denominandum, cum quod equo marino uti vix dignum videretur Neptuno alioquin velocissimo curru per undas invehente<sup>82)</sup>, tum propter albam barbam albosque capillos semel (10.) ei additos, quos in picturis nigro colore distinctis Nerei convenire multis probare possumus exemplis<sup>83)</sup>. Quae cum ita sint, de Wittius, Stephanus, Jahnius Neptuni nomen vix recte retinuerunt<sup>84)</sup>. Neve quis putet repugnare illi denominationi tridentis

eis temporibus ascribenda sit, quibus ars degenerare coeperat, tamen alius imaginis (5.) similitudo valuit, ut eam hoc loco tractarem.

81) a. v. I. p. 36.

82) cf. Virg. Aen. I. v. 147: Atque rotis summas levibus perlabitur undas. Hom. II. XIII. v. 23: ἐνθ' ἐλθὼν ὄπ' ὄχεσφι τῖτόσκετο χάλκον ἔπκω. Mueller, h. b. § 356. 2. p. 530.

83) a. v. II. 111; M134. 1271. 1292; P25. 38. 142; L535. 600.

84) él. cér. III. p. 4<sup>o</sup>sq.; P11; M361 et arch. ztg. 1860 p. 123.

attributum, quod cum aliis personis cum Neptuno marique fabularum nexu coniunctis, ut Taranta, Amymonen, Amphitriten<sup>85)</sup> afferam, convenit, tum vero Nerei tributum conspicitur in pictura, quae inscriptione addita eum in piscem desinentem ostendit<sup>86)</sup>. Quare vix dubium est, quin hae picturae ex earum numero, quae veram Neptuni figuram praebent, reiciendae sint.

Non tam certe dici potest, quid sibi velit figura tridentem tenens imberbis (6.). Nam etsi iuvenilis habitus a Neptuni figura non alienus (\*1.) esse videtur, tamen hoc loco omnino non habet, quo explicetur. Quo factum est, ut inciderint interpretatores picturae aut in Palaemonem<sup>87)</sup> aut in Amphitriten<sup>88)</sup>. Qui Neptunum repraesentatum esse putat, Gerhardius<sup>89)</sup>, ad opinionem suam firmandam argumenta non affert. Neque vero possunt afferri argumenta, ita ut res in medio relinquenda esse videatur.

Deinde picturarum, in quibus viri docti ex figuris eum stipantibus Neptunum recognosse sibi videntur, quattuor sunt genera.

Ac primum quidem ex picturis supra allatis (A. — E.; \*A. — \*G.)<sup>90)</sup> colligitur, usitatissimum fuisse pictoribus anti-quissimis Neptunum Delphicis deis Mercurioque consociare<sup>91)</sup>. Iam cum in promptu sint imagines (1. 2.) ad illarum picturarum similitudinem pictae, in quibus vir ceteroquin Neptuno respondens conspicitur, nisi quod aut attributis caret (2.) aut virgam manibus retinet (1.), non dubito, quin non-

85) Real. mus. borb. III. tav. 48. 64; ant. du bosph. cimm. III. 17. 7; d. a. k. II. 7. 81. Ceterum cf. C. R. 1866 p. 91.

86) mus. blac. 20 = él. cér. III. 33.

87) Auctor catalogi mus. brit. ad n° 561.

88) Lenormantius ad cab. étr. n° 95.

89) a. v. II. p. 153.

90) Addi potest pictura hydriae, quam hodie in museo Altenburgensi asservari testatur Gerhardius, arch. anz. 1854 p. 499.

91) Veterum scriptorum loca, quibus Neptunum oraculi Delphici participem fuisse probatur, affert Stephanus, C. R. 1861 p. 67.

nusquam deus tridentis sollemni attributo omisso repraesentatus sit. Quod perspicue docet pictura<sup>92)</sup>, in qua nomine inscripto indicatus cum Venere quadriga vehens conspicitur.

Extat praeter has, quae huc referatur, imago (3.) a ceterarum similitudine Baccho pro Latona picto paullum recedens, in qua Neptunus sceptro distinctus adesse fertur. Quod quo iure ei conveniat, vereor ne in nugas abeamus, si enucleare volumus. Multum enim dubitationis semper reliquerunt exempla, quae ad hoc probandum attulerunt viri docti<sup>93)</sup>. Quare mihi quidem valde in dubio versatur, num in illa pictura Neptunus (nam quin is repraesentatus sit, dubium esse non videtur) sceptro nec vero potius tridente temporum invidia destructo praeditus fuerit.

Extat deinde alterum genus imaginum saepissime redeuntium, quae Iovem Minervam parturientem ostendunt coram deorum conventu. Quorum in numero Neptunum inesse solere, docent picturae supra allatae (F. — K.; \*H. \*I.)<sup>94)</sup>. Tamen si talibus in picturis vir attributis non distinctus, Neptuni fere habitum prae se ferens reperitur (4.), vix pro certo agnosendus esse videtur, cum Mercurio Vulcanoque primus locus in huius generis imaginibus vindicandus sit. Qui si iam adsunt, tum demum ad Neptunum recurrendum est, quem tridente omisso nonnusquam pictum esse modo statuimus.

Secus censendum videtur de pictura Bacchi partum praebente (22.). In qua quo tandem iure Neptuno locum vindicaverint de Wittius et auctor catalogi Londinensis, non

92) él. cér. III. 15; Panofka, eigenn. mit καλός taf. II. 1.

93) Millingen, peint. inéd. I. p. 24 nt. 5; Boettiger, amalthea II. pp. 292. 297. not.; Gerhard, a. v. I. nachtr. p. 206; Preller, Pauly R.-Enc. V. I. p. 564.

94) Addere possumus tres picturas propter descriptionem obiter factam antea non commemoratas, quas exhibent a. amphora Fould nunc Parisiis extans, cf. bull. 1861 p. 214. b. amphora Fossati a. v. I. p. 5 nt. 7 g. c. amphora Castellani cf. arch. anz. 1866 p. 273\*. Denique huc spectat, quamquam arti recentiori ascribenda, amphora mus. brit. n° 741\*; ed. a. v. I. 3; él. cér. I. 64. 65; Forchhammer, geb. d. ath.

intellego, cum Mercurii potius figura omnibus, qui fabularum vel obiter periti sunt, in mentem veniat necesse sit.

Tum vero latissime patet imaginum genus, quae ad Herculem spectant, cuius cum fati saepissime coniungitur Neptunus (cf. Q. R. S. V. W. GG. \*K. \*L. \*M. \*CC.; a. f. i.). Quod aliquid valuisse videtur, ut viri docti picturas quasdam in medium protulerint (5. 6. 7. 20. 21.), quarum vix duae (5. 20.) cum aliqua probabilitate Neptunum omnibus attributis orbem ostendunt, quem ut ibi recognoscamus picturae \*CC similitudine commovemur. In ceteris (6. 7.) nihil obstat, quominus deus, ad quem Hercules adducitur, Iupiter denominetur; nam sceptrum flore tripartito coronatum tridentis vice non fungi arbitror. Qua in re num auxilii aliquid sperandum sit ex Amasis pictura<sup>95</sup>), in qua Hercules a Minerva Mercurioque ad Neptunum adduci fertur, nescio. Quo vero nomine baculus conveniat Neptuno, ex pictura (20.), quae in summa controversia versatur<sup>96</sup>), nemo erit, qui enucleare velit.

Relicum est, ut animum advertamus ad picturarum genus, quod quamvis priore non minus late pateat, tamen a vasorum genere, quae nigris figuris ornata sunt, omnino alienum est. Amores dico hominum et deorum in illis imaginibus conspicuos, quae duas tantum vel tres figuras exhibent<sup>97</sup>). Atque repraesentatio quidem talis fere est, ut vir longe pedibus progrediens mulierem iuvenemve prope decurrentem insectetur. Figurae cum plerumque attributis non satis, ut eas denominare possimus, designentur, summam apparet adhibendam esse prudentiam, ne temere nomina afferamus; saepissime enim ne ipsos quidem pictores, quid

<sup>95</sup>) Quae obiter commemoratur a Panofka, arch. anz. 1849 p. 70. Qui quamvis vasculi formam amphoram esse dicat, tamen oenochoe illa eandem picturam exhibens et ab eodem pictore confecta, quae ex Basseggi domo in comitis Gourieffii possessionem venisse dicitur (él. sér. I. p. 193 nt. 1.), idem vasculum esse videtur.

<sup>96</sup>) cf. quae affert Jahnius l. l.

<sup>97</sup>) De quibus copiose et praeclare scripsit Jahnius, arch. beitr. p. 28 sqq.

pingerent, sibi satis conscios fuisse existimo. Sunt tamen qui prudentia illa neglecta Neptunum aut sceptro distinctum (14. 15. 18.) aut attributis carentem (17.) invenisse sibi videantur. Ac virum quidem sceptrum retinentem in huius generis picturis Iovem (14.) esse, Jahnio<sup>98</sup>) concedo. Sed in pictura, quam sub n<sup>o</sup> 15. recensuimus, mulierem propere decurrentem, quam aversa vasculi pars ostendit, mitra distinctam et facem manu retinentem Cererem esse apparet, ita ut vir doctus, qui picturam edidit, mihi quidem non errasse videatur, cum de Proserpinae raptu cogitaret<sup>99</sup>). De picturis vero (17. 18.), quae nunc Petriburgi asservantur, miror eum, qui confecit Musei Campanensis catalogum, cum Peleum Thetidemque et Iovem Ganymedemque pictos esse censeret, melius vidisse quid sit statuendum, quam Stephanium. In priore quidem imagine, ut Neptunum agnosceret, commotus esse videtur pisce a muliere retento, quem Thetidi optimo iure convenire alius picturae testimonio (mus. blac. pl. XI.) probatur. Quibus reiectis una superest pictura, de qua paullo infra dicendum erit (16.).

Iam restat, ut de tribus imaginibus (8. 9. 19.) loquamur, quae a repraesentationis genere modo descripto paululum alienae non minus reiciendae sunt. Omnes enim causae, quas Walzius l. l. non sine argutiis attulit, ut picturam, quae nobis est undevicesima, Neptuno vindicaret, corruunt, cum ex catalogo Petropolitano l. l. iuvenem, quem ille Peleopem esse voluit, hodiernae originis esse appareat. Quae iam reliquae sunt picturae nigras figuras praebentes aut recentioris originis aut falsae interpretationis suspicionem movent. Et profecto non erit qui putet, priorem imaginem ad id, quod quaerimus, aliquid valere, cum delineatione facili sed neglegenti satis demonstretur, eam ad ultima artis tempora esse relegendam. Accedit, quod repraesentatio tam

98) l. l. p. 32; ann. 1845 p. 368 nt. 4.

99) Minime obstat, quod affert Jahnius l. l. p. 39., ubi Plutonem semper curru invectum Proserpinam rapere dicit; cf. a. d. III. p. 93sq.

recondita est, ut eam interpretari vix possimus. Nam si concederemus, eam propter hydriam a tergo viri in basi collocatam ad Amymones fabulam esse referendam, quid vero Neptuno baculi prodessent ad fontem aperiendum?

De altera pictura (9.) non prius aliquid statuere licet, quam paullo altius repetentes de piscis attributo nonnulla exposuimus. Quod cur Neptuno potissimum tribuatur, omnibus patet, cum vix inveniatur, quo eius vis et natura melius designetur<sup>100</sup>). Quare solum piscis attributum in picturis (U. \*O. \*DD. m. s.) ad Neptunum significandum satis valuit. Saepissime vero tridentem praeterea esse additum non solum picturae et nigris (N. R. FF. GG.; \*P. \*U.) et rubris (a. b. d. e. f. g. h. aa.) figuris compositae sed etiam anaglypha (2. 4.) demonstrant. Qua in re notatu dignum esse videtur, utrumque attributum in picturis eas tantum figuras simul gerere, quas iam supra artiore vinculo inter se contineri viderimus; illas dico, quae tunica longa pallioque indutae sunt<sup>101</sup>). Talis attributorum cumulatio cum ad vestium habitum nescio cur aliquid valuisse videatur, non dubito, quin figurae in vasis ineditis extantes, de quibus praeter piscem et tridentem nihil traditur (\*F. \*H. \*L. \*S. \*a. \*b.), eodem vestium habitu praeditae sint. Quam hic legem proposui, ita accipias velim, ut figurae vel nudae vel brevi veste amictae et pisce et tridente instructae inveniri non possint nisi in anaglyphis (2.) et picturis rubras figuras praebentibus. In quibus hoc attributum quid praeterea valeret, primus vidit Gerhardius<sup>102</sup>). Amoris enim pignora esse cum pisces tum vero delphines ut gallos et columbas, ex multis exemplis colligi licet (e. g. m. r.; \*a. \*o. \*p.)<sup>103</sup>). De hoc vero significato non prius quam in

100) cf. C. R. 1863 p. 316.

101) Ne quis mihi obfcere velit picturam a Panofka editam (zur erkl. d. Pl. erl. taf. n° 1), ubi Neptuni figuram a se inventam (nisi pisce excepto deprompta est ex a. v. I. 48.) coniectura addidit vir doctus.

102) a. v. I. p. 47; cf. C. R. 1864 p. 216; Panofka, eigenn. m.  $\alpha\lambda\delta\epsilon$  (abh. d. b. ac. 1849) p. 56; de Witte, nouv. ann. I. p. 89 sqq.

103) Addi licet a. v. I. 65. 1.



picturis rubro colore distinctis cogitari posse, eo maxime intellegitur, quod in his primum Neptunus puellis puerisque amatis consociatur. Quo factum est, ut non tantum figuris tunica pallioque sollemniter vestitis, sed etiam nudis (r.) et brevi veste amictis (\*o. \*p?) piscis tributus sit<sup>104</sup>.

Sed ab aliis quoque maris numinibus piscis attributum non alienum esse, iam supra Thetidis exemplo nobis probatum est. Sufficiat, Amphitriten (bb.) addidisse et Nerea (Ov., gal. VII. 4.), cuius nomine iam illuc reducimur, unde aberravimus.

Ne longus sim, in pictura supra allata (9.) non Neptunum sed Nerea repraesentatum esse arbitror, primum, quia piscis amorum significatum a picturis nigro colore distinctis alienum esse modo vidimus, tum vero quia imaginem (M 1292.) afferre possum, in qua Nerei sedentis figura eisdem attributis instructa et albis capillis praedita non ambigua conspicitur<sup>105</sup>.

Postquam igitur omnes imagines, in quibus nonnullis viris doctis Neptunus sceptro distinctus esse videbatur, reiecimus, una restat pictura (16.), in qua facere non possumus, si quidem omnia recte traduntur, quin deo sceptrum tributum esse agnoscamus. Nam cum non solum piscis additus sit, sed etiam hydria, qua distinguitur mulier, picturam ad Amymones fabulam spectare aperte demonstratur, Neptunus sane conspicuus est.

---

104) Haec altera piscis explicatio ad anaglypha artemque statuariam mihi quidem vix spectare videtur. Itaque non dubito, quin piscis attributum in illis statuis nobis non servatis, quae Neptunum et Amymonem repraesentabant, aliter atque amoris donum accipiendum sit. cf. C. R. 1864 p. 216.


105) Cf. a. v. II. 146. 147., ubi quin vir eisdem attributis praeditus, in sella sedens, Nereus sit, dubium esse omnino non potest, cum ipse Neptunus (a.) adsit.







3 2044 037 099 702



2700

